



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Dei Præsentia**

**Le Gaudier, Antoine**

**Coloniæ Agrippinæ, 1622**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50583](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50583)







Th. 2899.

A. III  
25.































DE DEI  
PRÆSENTIA.

AUCTORE  
P. ANTONIO GAVDIER,  
E SOCIETATE  
IESV.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Apud Petrum Henningium.  
M. DC. XXII.









SPECTATISSIMO

Nobilissimoque Viro

D. D. DRVSIO

HENNEQVIN

REGIO IN SVPRE-

mo Senatu Parisiensi Con-

siliario, Abbati de Ber-

nay, &c.

ANTONIUS GAVDIER

*è Societate IESV S. D.*



COMPOSVERAM

in meos vsus de

Dei Præsentia o-

pusculum, quod

cùm, rogatus vt in-

luccm darem, in eo loco re-

\* 2

cogno-



cognoscerem in quo tuæ er-  
 ga hanc domum beneuolen-  
 tia & liberalitatis monimen-  
 ta cernebam, admonitus sum  
 illico, vt, si alia re gratiam re-  
 ponere tot tuæ in nostram So-  
 cietatem familiæ, tuisque be-  
 neficijs non possem; hoc cer-  
 tè munusculo gratum animi  
 testarer: Quod, exiguum li-  
 cet, non tamen ingratum tibi  
 futurum existimaui, quò de-  
 ius argumentum non modò  
 sublime sit, sed cuiuis etiam  
 hominum generi valde utile  
 & proficuum. Rectè enim Sa-  
 piens. *Beatus vir qui in sa-  
 pientia morabitur, & in sen-  
 su cogitabit circumspectionem  
 Dei. & Propheta. Indicabo ti-  
 bi, ô homo, quid sit bonum, &*

Eccl.  
14.

Mich.  
6.

quid



NUNCUPATORIA.

quid Dominus requirat à te. V-  
tique facere iudicium, & dili-  
gere misericordiam, & sollici-  
tum ambulare cum Deo tuo.

Quibus sane verbis Spiritus  
Sanctus innuit omnem Chri-  
stianæ vite perfectionem, quæ  
duobus his verbis continetur,  
fuge à malo, & fac bonum,  
hoc diuinæ præsentia exerci-  
tio comparari. *Ambula cor am-  
me, & esto perfectus.* Ad hanc  
ergo huius exercitij dignita-  
tem si tui iudicij suffragium,  
& authoritatis commenda-  
tio accedat, non mediocrem  
tui fructum, nos volup-  
tatem percipie-  
mus.

Gen.  
17.





# I N D E X

## C A P I T V M.

- CAPVT I. *Deus omnibus rebus praesens adest.* pag. 5
- Cap. II. *Deus ita est in omnibus rebus, ut sit totus, & secundum omnes perfectiones suas in singulis.* 11
- Cap. III. *Deus praesens est omnibus rebus, etiam praeteritis & futuris.* 11
- Cap. IV. *Triplicis modus Deum praesentem concipiendi.* 22
- Cap. V. *Ad concipiendam melius Dei praesentiam Deus factus est homo, & se nobis in Eucharistia reliquit.* 30
- Cap. VI. *Non satis est ut perfecte Deo similes praesentes eius praesentiam intellectu concipere, nisi etiam nos illi uniamus.* 36
- Cap. VII. *Quibus modis nos Deo praesentem unire possimus.* 42
- Cap. VIII. *Ad Christi Domini praesentiam perfectam unio etiam requiritur.* 58
- Cap. IX. *Causa efficiens huius exercitii Deus est.* 60
- Cap. X. *Causa meritoria eiusdem exercitii est Christus Dominus.* 66

Cap. I.



I N D E X.

- Cap. XI. Debet se quisque ad eam gratiam  
disponere, & ei cooperari. 72
- Cap. XII. Quomodo Deum in nobis praesen-  
tem, & operantem cogitare possimus. 77
- Cap. XIII. Praesentem & operantem in nobis  
Deum cogitare & complecti debemus,  
quemadmodum ipse seipsum sibi praesen-  
tem complectitur, cum ipse nobis sit hu-  
ius exercitij perfectissimum exemplar. 88
- Cap. XIII. In Christo etiam habemus ex-  
emplar exercitij huius, quo Deum in nobis  
praesentem contemplamur. 93
- Cap. XV. Sancti etiam eundem nobis modum  
suo exemplo tradiderunt. 97
- Cap. XVI. Modus hanc Dei praesentiam in no-  
bis per simplicem fidei actum cogitandi. 100
- Cap. XVII. Sub quibus sensibilibus imagini-  
bus, Dei praesentiam in nobis cogitare possi-  
mus. 107
- Cap. XVIII. Imagines sacra nos iuvant, ut  
Dei praesentiam & sapientiam considere-  
mus, 115
- Cap. XIX. Deus in nobis alijsque rebus pra-  
sens non tantum ut causa efficiens, sed et  
iam finalis ac formalis & materialis ali-  
quomodo cogitari potest. 119
- Cap. XX. Quomodo Deum in alijs hominibus  
praesentem & operantem, omnesque sibi &  
in vicem miro modo unientem contemplari  
possimus. 122
- Cap. XXI.



## I N D E X.

- Cap. XXI. Quomodo Deum in ceteris creaturis considerare & complecti possimus. 130
- Cap. XXII. Quomodo in Deo praesente remotissima quaeque, & tam praeterita quam futura nobis quasi praesentia efficiantur. 136
- Cap. XXIII. Quomodo Deus praesens in oratione concipiendus sit. 142
- Cap. XXIV. Quomodo in sanctissimo Missae sacrificio praesentem Deum habere possimus. 150
- Cap. XXV. Quomodo in conscientia examine Dei praesentia sit concipienda. 157
- Cap. XXVI. Quomodo in studijs Deum praesentem intueri possimus. 160
- Cap. XXVII. Quomodo Deum in nobis, dum exterius occupamur, praesentem & operantem intueri debeamus. 170
- Cap. XXVIII. Quomodo Deum in alijs, praecipue superioribus, praesentem & operantem contemplari & intueri possimus. 173
- Cap. XXIX. Quomodo cum inter nos versamur, & negotia quaevis tractamus Deum praesentem in nobis & alijs videre possimus. 180
- Cap. XXX. Quomodo in peccatoribus spectari possit Deus praesens & operans. 185
- Cap. XXXI. Quomodo in alijs omnibus creaturis praesens sit & opereatur. 188
- Cap. XXXII. Quomodo Deum in omnibus creaturis, nos aduersis casibus exercentem intueri possimus. 191
- Cap. XXXIII. Fructus non nulli exercitij praesentia Dei. 201





DE DEI  
PRÆSENTIA.

PRÆFATIO



OMINI illi qui  
Deum verè amat,  
eiq<sup>s</sup> se toto animi  
affectu unire desi-  
derat, nihil potius optabiliusq<sup>s</sup>  
esse debet, quàm ut in eius sem-  
per præsentia versetur, cum eo  
colloquatur familiariter, imo &  
in illo maneat semper, vivat  
continuò, ac ut in centro suo  
quiescat. Hoc enim est ad Beato-  
rum qui verè presentes illi  
sunt, quia vident illum sicuti

1. Ioan.

A

est,

3.



est, imo & ad ipsius immortalis  
Dei, qui secum ipse & in se ha-  
bitans seipsum seipso foelicissi-  
mè replet, beatissimam vitam  
quam proximè accedere. Hoc  
totius perfectionis fundamen-  
tum est, sine quo nulla cum Deo  
in oratione & meditatione con-  
uersatio satis intima & fami-  
liaris, nulla satis efficax circa  
proximum functio, nulla satis  
modesta corporis animiq; com-  
positio, nullus pro Deo labor, nul-  
la mortificatio suavis & diu-  
turna esse potest. Hanc ergo san-  
ctam & diuinam occupationem,  
anima Christiana, quæ ad Deum  
ipsius similitudinem & amici-  
tiam vocata est, quanti par est  
te aestimare, quanto suscipere  
affectu? Quid enim tibi prodes-

se po



se potest, quod in creaturis ver-  
 seris, & earum presentia ab-  
 sente Deo tuo fruaris? Cum e-  
 nim omnia per eum facta sint,  
 & sine ipso factum sit nihil.  
 Si quid sine illo amas, nihil  
 amas, nihil ipsa facta; cumque  
 solus ille sit veritas & vita, &  
 summum bonum, sine quo nihil  
 verum & bonum, sed mors, ma-  
 lum, & vanitas? si quid ab eo  
 separatum diligis, deficis, & in  
 cogitationibus tuis evanescis.  
 Quare ut haec in qua omnium  
 omnino rerum, quae aliquid ad  
 perfectionem conferunt, summa  
 est, occupatio facilius tibi sit &  
 iucundior, opera pretium exi-  
 stimavi breviter & clare san-  
 cti huius exercitij causas om-  
 nes, & modos praximque deli-

Ioan. I

Ioan.

14.



l. 5. c. 1.

neare, & nonnullos etiam fructus ante oculos ponere: quae omnia ex ijs luminibus quae Deus Beato Patri Ignatio Societatis Nostrae parenti communicavit, omissis hoc tempore alijs quae de eodem argumento dici possent, tanquam ex pleno fonte haurienda duximus. Is enim, ut in eius vita legimus, familiare Nostris optabat esse, ut Deum in rebus omnibus praesentem cernerent: & mentes suas non in oratione tantum ad caelestia attollerent; sed uniuersas res, atque actiones singulas in Deum referrent; neque minorem deuotionis spiritum in actione, quam in ipsa meditatione sentirent. Et hanc quidem orandi consuetudinem assiduam, cum in alijs, tum vero

in ho-



*in hominibus pie occupatis, tanquam magis expeditam probabat.*

## CAAVT I.

*Deus omnibus rebus praesens adest.*

**Q**UAMQVAM in hac valle lachrymarum, horroris & tenebrarum loco, peregrinemur à Domino, & procul ab illo abcessisse videamur, haudquaquam tamen ipse à nobis abest, cum per naturam, potentiam, & sapientiam, rebus omnibus adfit intimè, eas penetret, cōtineat, ac sustentet, quod certè maximum peregrinationis huius nostræ solatium est; im-



mensus enim ille Deus cum  
in principio solus esset, ac  
proinde solus viueret, solus  
vellet, & amaret, & secum ip-  
se & in seipso beatissimè ver-  
saretur, solus ipse tibi praesens  
esset, quia nihil praeter illum  
erat, nihil viuebat, nihil in-  
telligebat, aut amabat; in tē-  
pore, ad maiestatis suae & bo-  
nitatis gloriam exterius etiā  
manifestandam, illud ipsum  
quod est, quod viuit, quod in-  
telligit, quod amat, extra se  
communicare creaturis suis  
voluit, & ex thesauro suae im-  
mensitatis, ex profunda abyf-  
so suae potentiae & sapientiae  
omne id expressit, quod in v-  
niuerso est, quod viuit, quod  
operatur, quod sentit, quod

intel-



intelligit: Non quòd extra ipsum aliquid sit, aut uiuat, aut operetur, aut intelligat, aut velit; sed quia quæ extra se produxit, ita ab eo sunt diuersa, vt nō sint ipse Deus; quamquam omnibus ita præsens adsit, sicut ipse sibi præsens quodammodo adest, dans omnibus vt sint id quod sunt, quod volunt, quod operantur, quod intelligunt. Nec enim quæcumque extra se fecit, instar aliorum artificum quasi abiectâ eorum curâ extra se prorsus effudit, sed eadem in seipso, vt in proprio eorum (vt ita dicam) loco & typo quasi recipiens, sustentat, & amore bonitatis



Rom.  
II.  
Act.  
17.

sua, quam in omnibus glorificare desiderat, in se recolligit. *Omnia enim per ipsum & ex ipso sunt, & in ipso: nos in ipso vivimus, movemur, & sumus*, in ipso tanquam in solidissimo fundamento stabiliti sumus, in ipso intimè nos nostraque omnia per naturam, potentiam, & sapientiã peruadente & penetrante immergi existimus, erigimur, stamus, fulcimur, operamur, intelligimus, diligimus. Et verò haud scio an vllius perfectionis suæ alterius, quàm immensæ huius, & per omnes res creatas effusæ præsentia in imagine suâ animâ, veriorem illustrioremq; similitudinem expresserit: ea enim

ita



ita est per totum corpus diffusa, vt non in varias distracta partes, sed vna totaque sit vbi- que, eadem in infantili que in virili proceroque corpore, itaque hoc inclusa vt continere illud potiùs, quàm eo contineri dicatur, membris omnibus vitam dat suâ intima præsentia, eorumque facultatibus ad proprias actiones vim & virtutem ita largitur, vt pedibus ambulet, auribus audiat, cernat oculis, & toto corpore sentiat, ac, si inde abscesserit, nullæ actiones, nullæ facultates, & potentia supersint; sed ipse quoque homo esse desinat. Ita enim immensus Deus totam hanc rerum omnium vniuersitatem



complectitur, & verò etiam permeat, totus in toto mundo, vt in minutissimis eius quoque particulis sit integer, non in musca minor, nec maior in elephanto; æque in paruis, ac magnis incircumscriptus, immensus, portans omnia, implens, protegens, creans, & nutriens & perficiens; & si suam, qua omnia continet & sustentat præsentiam subtraheret, non tantum confusa permixtaque ruerent vniuersa, sed etiam momento abirent in nihilum: quia vt sine Deo factum est nihil, ita & sine eo nihil esse aut cõsistere potest. Quapropter bene, ô Deus meus, tuæ huius gloriosæ præsentia

quæ



quidam contemplator dicebat de te, quod tu sis intra omnia & extra omnia, supra omnia & infra omnia, superior per Greg. potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum cont inens, extra circumdans, interius penetrans uniuersa.

## CAPVT II.

Deus ita est in omnibus rebus ut sit totus, & secundum omnes perfectiones suas in singulis.



ST igitur Deus omnia in omnibus, & omnia in ipso sunt id omne

A 6 quod



quod sunt. Nec enim tantum  
essentia eius, potentia, sapien-  
tia, intelligentia, voluntas, o-  
peratio, fons est ex quo riuu-  
lorum instar deriuatur omnis  
natura, vita, intelligentia, vo-  
luntas, & operatio nostra; sed  
præterea tota eius essentia, to-  
ta maiestas, tota potentia, to-  
ta sapientia, tota iustitia, tota  
bonitas, & misericordia, tota  
sanctitas, & pulchritudo, tota  
intelligentia, voluntas, amor,  
& prouidentia, tota Denique  
plenitudo permeat & perua-  
dit nostram naturam totam,  
totam vitam, intelligentiam,  
voluntatem, operationes de-  
nique singulas, sic vt ipse to-  
tus fons in qualibet sui riuuli  
parte existat, ita quas habe-

mus



mus perfectionem particulas  
de sua infinitate nobis com-  
municans, vt illas totas in se-  
se absorbeat; adeo vt in om-  
nibus & singulis eius perfe-  
ctionibus immersa sit natura  
nostra tota, tota vita, tota ani-  
ma, totum corpus, totus intel-  
lectus & voluntas, & vires cæ-  
teræ atque operationes totæ:  
non sicut in vasto oceano exi-  
gua spongiola, sed sicut vastus  
oceanus totus cuiuslibet spon-  
giolæ vnius parti infusus, to-  
tus alteri, totus singulis, totus  
etiam omnibus in infinitum  
circumfusus, totus extra, totus  
intra, totus vni intimus, totus  
alteri, totus singulis, totus cir-  
cumcirca soli sibi in immen-  
sum inmutabiliter præsens.



Pfal.  
138.

*Quò ergo ibo Domine à Spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi forsitan tenebræ cõcubabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis, etenim tenebræ non obscurabuntur à te. Deniq; non tantũ scientia tua mirabilis facta est ex me, & in me, sed & bonitas tua, & potẽtia, & iustitia, & sãctitas, & intellectus, & voluntas, & etiam maiestas illa tua immẽsa. Tu enim verè es Dominus solus, ait*

Aug.  
lib. I.  
Sol.  
cap. I.

*D Aug. Deus inuisibilis, inestimabilis, incircumscriptus, illo-*

*calis*



calis, immensus, incomprehensi-  
 bilis, ubi q<sup>2</sup> totus, ubi q<sup>2</sup> praesens,  
 ineffabiliter omnia continens,  
 omnia penetrans, omnia sciens,  
 cuncta prospiciens, omnia potēs,  
 uniuersa gubernans, totus in  
 caelo, totus in terra, totus etiam  
 ubique, quem nullus circum-  
 scribit locus, & solus es, praesens  
 etiam his quae longe fiunt à te: à  
 quo manant usque ad nos om-  
 nia bona, à quo coercentur usq<sup>2</sup>  
 à nobis omnia mala, supra quem  
 nihil, extra quem nihil, sine quo  
 nihil est, sub quo totum, in quo  
 totum, cum quo totum est.

## CAPVT III.

Deus praesens est omnibus rebus  
 etiam praeteritis & fu-  
 turis.



Psal.  
citato.



RAE cæteris ta-  
men, ô immense  
Deus, *mirabilis est*  
*tua scientia* de me,  
quia non tantùm postquam  
me fecisti, me sciuisti; sed *co-*  
*gnouisti omnia mea nouissima*  
*& antiqua.* Hæc enim immu-  
tabilis æternæ maiestatis es-  
sentia, potentia, bonitas, &  
tota denique plenitudo, non  
creaturas existentes, earumq;  
vires omnes & operationes in  
suo veluti vtero duntaxat cõ-  
tinet; sed omnia prorsus præ-  
terita, futura etiam vniuersa  
tanquam nunc præsentia in-  
tuetur, disponit, & admini-  
strat, atque adeo secundum  
suas omnes operationes tam  
ad intra quàm ad extra, ubi-  
que



que in sua æternitate præfens est. Nihil illius potentiaæ imperuium est, *qui vocat ea que non sunt, tanquam ea que sunt,* quæ æterno molimine non tantùm hanc totam machinam, sed minutissimas omnium creaturarum operationes fortissimo influxu adiuuat, firmat, & consummat; quæ infinities infinitas creaturas suo in gremio coërcet. Nihil eius æternitati præteritum, nihil futurum esse potest; sed omnia præsentia sunt. Nihil illi nouum aut recens accidit, nihil est antiquum, sed in vno momento æternitatis vniuersa tempora continens, vno simplicissimo actu, vno intuitu, non  
tan-



tantum cernit omnia, sed etiam in pondere, numero & mensura constituit, & non minus in hoc momento ea omnia & singula quæ fuerunt, quæque erunt suâ infinitâ sapientiâ, iustitiâ, bonitate, potentiâ, sanctitate, attingens à fine ad finem disponit & ordinat, quàm quæ nunc sunt: nulla illa labuntur tempora: nulla ex rerum vicissitudine adueniunt detrimenta; nulla à fluentibus rebus illum diuidit successio; non est illi antiqua non est præterita actio, qua in principio cælum & terram creauit, quia nullum ei principium. *Summus enim es* (vt te verbis Augustini alloquar) *& non mutaris, neque*

per.



peragitur in te hodiernus dies,  
 & tamen in te peragitur, quia  
 in te sunt & ista omnia, non e-  
 nim haberent vias transseundi,  
 nisi contineres eas. Ita August.  
 Nostra quidem vita varijs sibi  
 succedentibus aetatibus con-  
 stat, itaque est vanitati & mu-  
 tationi obnoxia, vt nisi per-  
 petuo fluxu mutaretur, non ef-  
 fet. Tu autem semper idem ipse  
 es via, per quam omnia tran-  
 seunt, & tu manes semper idem,  
 & anni tui non deficiunt, quia  
 anni tui hodiernus dies. Et  
 quam multi, vt idem Aug. Iam dies  
 nostri & patrum nostrorum per ho-  
 diernum tuum transierunt, & ex illo  
 acceperunt modos & utrumque ex-  
 titerunt, & transibunt adhuc alij,  
 & accipiet, & utrumque existet.



*Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque ultra, omniaque hesternae & retro, hodie facis, hodie facies, hodie fecisti. Nihil denique tibi praeteritum est aut futurum, sed praesentia omnia, eaque non prospicis, non recordaris, sed unico illo divinae tuae scientiae actu cernis & intueris, tibi ob oculos Adami lapsus, caedes Abel, Noe integritas, Abrahami obedientia, tota denique series sacrae historiae; item Christi Domini incarnatio, vita & passio; omnium Sanctorum Apostolorum & Martyrum, & Confessorum gesta, quae nobis praeterita procul a nobis abesse videntur; futura item omnia in mundi finem,*

*in la-*



in labenti hoc mundi totius  
& Ecclesiae cursu, quae non tã-  
tum procul à nobis absunt,  
sed ne quidem sunt; omnia  
habes ante te praesentia. Ita  
est ô aeternae Deus, tibi inter  
coelum & terram suspensus  
adhuc pendet filius tuus vni-  
genitus pro me crucifixus: Ti-  
bi mea omnia scelera, quae,  
eheu, penè obliuioni tradidi,  
praesentia sunt, & suo foetore,  
quid aliud quàm iustitiam  
tuam prouocant etiam mo-  
do, nisi ingens illa miseri-  
cordia, qua ea remisisti pro-  
pter sanguinem filij tui, non  
minus etiam praesens in-  
genti dignatione suc-  
curreret?



## CAPVT IV.

*Triplicem modum Deum presentem concipiendi.*



IC ergo tota Dei maiestas, bonitas, potentia, iustitia, & omnis plenitudo perfectionum, non tantum secundum se, sed etiam secundum effectus & miserationes eius antiquas & nouas mihi presentem est: sed nunquid id satis est, nisi ego ei pariter sim presentem? Deus enim pro sua in omnes partes immensitate rebus omnibus est presentem, sed non æquè omnes illi sunt presentem, ut ait B. Dionysius

nysius



nysius. Nam qui hanc eius  
praesentiam agnoscunt, & ad  
illum praesentem sese referunt,  
hi proprie ei praesentes esse di-  
cuntur.

Tribus autem modis crea-  
tura rationalis hanc Dei praesentiam mente concipere, &  
ei se praesentem efficere po-  
test.

Primo naturali discursu  
ex principijs naturæ lumine  
cognitis: *Nam invisibilia Dei  
à creatura mundi per ea quæ  
facta sunt intellecta conspiciun-  
tur, sempiterna quoque virtus  
eius & divinitas.* Quis enim  
dubitat quin philolophi anti-  
qui qui Deum cognouerunt,  
hanc eius immensitatem in-  
uestigare etiam potuerint?

I.

Rom.

Inde



Inde enim est illud cuiusdam  
poëtae:

*Iouis omnia plena.*

Et quod refert Atheniensibus  
B. Paulus: *In ipso enim vivi-  
mus, mouemur, & sumus.* Ve-  
rùm hæc cognitio & difficilis  
est, quare pauci eam habue-  
runt; & imperfecta, quare an-  
tiqui illi Philosophi, cum De-  
um cognouissent, non sicut De-  
um glorificauerunt, sed obscura-  
tum est insipiens cor eorum, &  
mutauerunt gloriam incorrup-  
tibilis Dei, in similitudinem i-  
maginis corruptibilis hominis,  
& volucrum, & quadrupedum,  
& veritatem Dei in menda-  
cium, & coluerunt & seruiert  
creature potius quam Crea-  
tori, qui est benedictus in secula.

Deus



Deus ergo pius & misericors, cum ab omnibus hominibus agnosci vellet, suam illis praesentiam reuelavit, & diuinum fidei lumen, quod est participatio illius cognitionis quam de se habet, impertijt vt diuinae huius praesentiae veritatem facile, certo, & infallibiliter humili fide apprehenderent. Et licet in huius vitae tenebris clara esse haec cognitio non possit, tamen suae certitudinis & infallibili tantae auctoritatis persuasionem ita splendescit in anima, vt longe magis illam, quam alia quaeuis euidentis cognitio, illustret.

Accedit ad vtrumque hunc  
modum plerumque phanta-



lia, aut imaginationis operatio, quæ pro sua natura & consuetudine sub corporea imagine, v.g. oceani aut immensi aëris, vel similis cuiuspiã rei Deum ubique præsentem intuetur; nec enim aliter potest hæc potentia operari. Verùm solet ratio ipsa & fides hanc imaginationis imperfectiorem corrigere, reiectaq; specie corporeã, incircumscriptã Dei maiestatem puro & simplici fidei intuitu ubique contemplari. Quare in hac vita vterque hic modus necessario permiscetur. Sunt tamen qui corporeæ alicuius imaginis similitudine ad apprehendendam maiori fidei sensu, Dei præsentiam plurimũ



iuuantur. Alij simplicissimo  
 fidei actu contenti quam mi-  
 nimùm possunt imaginatio-  
 nis admiscere; vtrique non  
 malè: Cauere tamen debent  
 primi, primum quidem ne  
 imaginationi suæ vim nimiam  
 inferant; deinde ne ita speciei  
 corporeæ apprehensioni, in-  
 hereant aut ea delectentur, vt,  
 quòd fere fit, vel verum fidei  
 actum amittant, vel illum mi-  
 nus solidum, minusque perfe-  
 ctum faciant. Omitto non-  
 nullos, maximè rudiores, ac  
 qui omnia sensibus metuntur,  
 ita Deum humana sibi  
 specie effectum proponere, vt  
 in eos quadret dictum san-  
 cti Apostoli. Et *mutauerunt*  
*gloriam incorruptibilis, in*

loco  
 citato.



Col.  
10.

*similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Quam in rem memini quod de Serapione Cassianus refert. Cùm enim senex ille, non tantùm eam Dei tanquam hominis imaginem longo usu in phantasia altè impressam haberet, sed præterea etiam Anthropomorphitarum errore imbutus eam sibi opinionè corroborasset; cùm tandem de errore correcto, prauaque illa persuasione depositâ Deo gratias agere vellet, sentiens se abolita illa priore imagine Deum præsentem concipere, & vt solebat, velut coram alio loqui non posse; flens amarissimè, ac in crebros singultus prorumpens, voce miserabili

con-



conquestus est. Heu me mitem  
rum tulerunt à me Deū meū,  
& quem nunc teneam nō ha-  
beo, vel quem adorem aut in-  
terpellem iam nescio. Adeo  
his figuris corporeis imagini-  
busque animum immerferat,  
vt altius eum postea ad con-  
templandam illam æternam  
inaccessibilemque Dei ima-  
ginem nō posset erigere, etiā  
cū maximè vellet. Quam-  
quam si prudenter imagini-  
bus illis vsus fueris, tibi atten-  
deris, hæc imaginandi facul-  
tas non parum opis allatura  
sit intellectui, vt per fidei as-  
sensum facilius firmissq;  
Deum præsentem ap-  
prehendas.



## CAPVT V.

*Ad concipiendam melius Dei  
præsentiam Deus factus est  
homo, & se nobis in  
Eucharistia re-  
liquit.*



**H**ic certè inter alias  
non fuit hæc mi-  
nima causa. cur  
Dei filius, Deus ip-  
se immensus; homo fieri vo-  
luerit, & inter homines fa-  
miliariter versari, vt sensi-  
bilia obiectorum tantum  
capaces hominū oculi & sen-  
sus, per externam hominis  
speciē diuinā præsentia faci-  
lius in intellectū transmittē-  
rēt, Deū ipsum in homine se-

sibili-



sibiliter agnoscerent, & hominem verum Christum Iesum imaginando, ipsum etiam Deum verum similiter imaginatione conciperent.

Pari etiam modo Christus Dominus sese in sanctissimo sacramento suae Ecclesiae reliquit tot in locis praesentem corporaliter, quamvis sub specierum velo, ut per hanc praesentiae eius corporalis fide erudiamur, & assuecamus Deum ipsum in omnibus rebus etiam vilissimis praesentem apprehendere. Nam quamvis quaedam difficultas in credendo hoc mysterio esse videatur, tamen hac fide, quae tot tamque evidentibus stabilita est testimonijs, bene constituta, ineffa-



bili quodam modo in fidelium omnium animis roboratur, vnius & veri immensiq; Dei fides; adeo vt tam ipse Christi Domini aduentus, quam diuinum hoc sacramentum singulari quodam modo mundo illustret, ad Dei presentiam in omnibus rebus agnoscendam. Qua etiam de causa Christus ipse missum se esse dixerat, vt & patrem clarificaret, & nomen eius hominibus manifestaret. Nec omittendum se nobis Christum sub speciebus panis & vini reliquisse, vt quemadmodum alimentum in substantiam nostram diffunditur & permisceatur, intimeque fit nobis presens; ita etiam ipse intimam diuinæ maiestatis,   
 quæ



quæ verus est hominis cibus, præsentiam in nobis significaret. Et verò maximo prorsusque singulari nulli quæ; id ætatis alteri concessio beneficio Deus se cum famulo suo Moyse agere olim testabatur, quod ore ad os ei loqueretur, cum tamen non nisi per sequestrum Angelum id ageret; at in lege Evangelica, in qua revelata sunt nobis diuina mysteria, Deusque per Christum clarius in cordibus nostris illuxit, ipsemet visendum se præbuit, & cum hominibus conuersatus est, Verbum enim caro factum, & collyrium oculis nostris fecit, & lucem illam, fulgorẽque diuinitatis inaccessibleem humanitate assum-



pta velut nube obductum tēperatumque imbecillitati nostræ accommodauit, ac per Eucharistiam verè habitauit in nobis, vnde factum est vt viderimus, aut (vt Græcum vocabulum significat) apertè & palam contēplati fuerimus gloriam eius; nec iam à præsentia Dei procellis fulguri- busque deterreamur, vt antiqui illi Israëlitæ, sed in suauissimo eius aspectu ac cōsuetudine iucundissima acquiescimus, & vt ait apud Cassianum abbas Moses, suspiret actiōis se à summo bono anima nostra sentiat recessisse, quotiens se ab illo intuitu deprehenderit separatam: fornicationem iudicans, vel momē-

Col. I.

taneum



taneum à Christi contempla-  
tione discessum.

Quare postquam apparuit  
iam benignitas, & humanitas  
saluatoris nostri Dei, nouus  
hic modus nobis suppetit fa-  
cillimè Deum in Christo no-  
bis repræsentandi, etiam cor-  
poraliter; ita vt siue in cœlo  
gloriosè regnātem, vnde nos  
continuò verissimè intuetur,  
& gubernat influxu suorum  
meritorum per operationes  
gratiæ & iustitiæ, contem-  
plemur; aut ne fortè mentis no-  
strę oculos in cœlos vsque in-  
tendentes cum Psalmista cō-  
queramur: *defecerunt oculi  
mei suspicientes in excelsum.*  
in sacratissima Eucharistia  
tanquam in throno inter nos



residentem, & eodem officio  
fungentem; siue prout olim  
inter homines cōuersantem;  
vel in cruce ipsa fixū intuea-  
mur, & alloquamur familia-  
riter.

## CAPVT VI.

*Non satis est vt perfectè Deo si-  
mus præsentes eius præsenti-  
am intellectu concipere, ni-  
si etiam nos illi uniamus.*



**E** T in eo quidem  
consistit præsen-  
tia Dei in nobis,  
& nostra vicif-  
sim præsentia co-  
ram Deo; verum si nihil  
vtrique præterea vel inesset,  
vel adueniret, tantū certè no-  
bis



bis faciendum nō esset, quod nos Deo, & Deus nobis rebusque omnibus alijs præsens sit. Est igitur huiusce præsentiæ præstantissima forma & perfectio, illa non Physica sed Moralis, quæ eam ipsam consequitur inter Deum & nos admirabilis vnio: nec enim modo quodam mortuo Deus & creatura sibi mutuam præsentiæ exhibent, sed cum ingenti in se inuicem pondere inclinationis, vt vnus alterum se toto complectatur. Nā si materiæ & formæ tanta inclinatio in se inuicem insita est ab ipso naturæ authore Deo, huic, vt sese tradendo materiæ illam perficiat, illi vt formam recipiendo perficia-



tur ad bonum vniuersi; quantum vim inesse putandum est Deo ipsi, vt sese creaturæ suæ præcipue rationali tradendo eam perficiat, & ipsi creaturæ desiderium, vt Deum non vno, sed tot tantisque vinculis sese vnire penitus ei volentem in se recipiat ad laudem & gloriam, atque adeo bonum æternæ illius maiestatis? Cùm enim omnia propter seipsū atq; bonitatem suam fecerit, & eam suam bonitatem infinito ac verè diuino amore prosequatur; cui obsecro dubium esse potest, quin maxime etiam desideret creaturas perficere, & infinito amoris pondere feratur, vt rationales similitudinis illius suæ ac bonitatis



nitatis longè alijs omnibus  
 creaturis capaciores sibi v-  
 niat, ac denique ijs etiã ipsis  
 maximũ quoddam desiderij  
 pondus indiderit, vt in ipsum  
 ferantur, in cuius participa-  
 tione communioneq; totum  
 suum bonum, perfectionem-  
 que sitam esse sentiunt. *Verè*  
*enim fecisti nos Domine ad te,*  
*& inquietum est cor nostrum,*  
*donec requiescat in te: & quo-*  
 modo possumus requiescere  
 in te, nisi eo pondere, quod  
 nobis dedisti, ad te pertracti,  
 tibiq; adhæretes cõplectamur  
 te totis viribus nostris, intel-  
 lectu præcipuè & volũtate? Si-  
 cut igitur immensus Deus nõ  
 tantũ vbique est iustus, vbi-  
 que bonus, vbique sapiens,

Aug. I  
 Conf.  
 c. I.

vbi-



vbique omnipotens, vbique  
sanctus, vbique intelligens,  
vbique amans, sed etiam vbi-  
que est in omnibus creaturis  
per intellectum & voluntatē  
operans, & per suas operatio-  
nes seipsum, suasque omnes  
perfectiones iisdem immer-  
gens, communicans, & velu-  
ti mancipans, & sic eas perfici-  
ens; ita creatura rationalis  
cui datum est posse intellectu,  
& voluntate Deum complecti,  
sic se ei præsentem exhibere  
debet, vt secundum eam quā  
ab eo habet dependentiam,  
inclinationem & pondus in-  
telligendo, & amando se ei  
quā poterit perfectissimè, &  
quibuscumq; valebit opera-  
tionum vinculis vniat & a-  
strin-



stringat. Hic vero complexus quò perfectior, eò etiam presentia maior quodammodo esse dicitur. S. Aug. *Deus*, inquit, *totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus: quamvis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diversitate, alij amplius, alij minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratiæ suæ & bonitatis edificat.* Et ibid. *Vnde in omnibus sanctis sunt alij sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum?* Hæc ille. Nec verò unius generis est vniò hæc, sed prout variæ sunt Dei operationes, quibus non tantum presentiam suam testatur, sed sese & suas illis perfectiones vnit, & propter

quas

Epist.  
ad  
Dardanum.



quas varios respectus & titulos admittit; ita varię sunt hominis operationes, quibus ad Deum ipsum adeo se inclinātem accedit, eumque vicissim complectitur, quas iam enumerare opere pretiū erit: hoc illis enim constabit, quā varijs modis sese possit homo Deo presentem exhibere & vnire.

## CAPVT VII.

*Quibus modis nos Deo presenti vnire possimus.*

**P**RIMUM ergo Dei ad creaturas accessus est per creationem, per quam Deus creaturę suę quę antea nihil



nihil omnino erat, non tantum incipit esse praesens, sed ita ut eam pervadat intimè, & per actionem creativam, conseruationemque continuam suas in ea perfectiones manifestet, &, ut ita dicam, creaturae suae addicat ac mancipet necessitate quadam spontaneâ creaturis illum concursum aequè certò, ac si cum ex stipulatione aliqua deberet, tribuens. Nec enim crearet & conseruaret, nisi esset summè bonus, sapiens, omnipotens, infinitæ denique perfectionis & excellētiae. Ab hac Dei operatione nascitur is qui ei tribui solet titulus primi principij, creatoris, & authoris rerum omnium, sub quo vnus-

quis-



quisque illum sibi & alijs omnibus creaturis presentē, & ita operantem concipere potest, & seipsum aliasque omnes ab eo accipientes continuo, esse, posse, & operari; ac proinde dependentes ab eo magis quam à seipsis, cum à se nihil sint, habeant, aut possint, sed tantum ab eo presente & operante in singula momenta accipiāt id quod sunt, quod habent, quod possunt.

Ex qua Dei presentis, & operantis apprehensione orietur sine dubio maxima aestimatio eius excellentiæ, ingens sui submissio sub tanta maiestate, eiusdem cultus tum internus, tum externus, adoratio, laus, gratiarum actio, oratio,

sui



sui oblatio, & alij actus ad religionem pertinentes, quibus homo Deum vt creatorem suum & principium veneratur, & ei praesenti & adeo in se propenso seipsum etiam praesentem facit, coniungit, penitusque adstringit.

Huc etiam spectat quod per productionem supernaturalium donorum, & gratiarum actualium communicationem efficit nos nouam creaturam, & ineffabilibus operationibus gratiae, sua nobis infinitam bonitatem, misericordiam, potentiam, sapientiam, iustitiam, sanctitatem quotidie nouo quodam modo communicat, & addit; sic vt ab illo accipiamus

esse



esse quoddam supernaturale, posse & operari. Idem enim ille spiritus qui ferebatur super aquas eas fouens & fecunditatem largiens; idē, inquam, spiritus nos omnes vita spirituali viuificat in nobis inhabitans, atq; adeo merito sanctificator noster est & iustificator, quem sub illo titulo & præsentem, & operantem in nobis, & intueri sæper possumus & debemus, & vicissim etiam ei nos submittere, singulari modo cum honorando colendoque.

Præterea supremus est omnium Dominus suo omnes iure gubernans, & sanctissimis legibus coercens. Has ipse leges non atramento, sed spiri-



tu suo viuo & viuifico in animis nostris, scriptas & in tabulis non lapideis, sed cordis carnalibus emollitis videlicet, preparatisque prius intellectu & voluntate nostra insculptas promulgat idem idem inculcans, sicut ipse per Ierem. inquit, *Dabo legem meam* c. 13. *in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* & Ezech. c. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in praeceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* Et verò non tantum excitat nos, impellitque & sanctissimè, iustissimeque quidquid ex leges

præ-



præscribunt in nobis exequi-  
tur, sed etiam si violauerimus  
pœnam multiplicem internã  
& externam seuerissimus iu-  
dex exigit, tam in hac vita  
quàm futura. Sic ergo Deum  
præsentem nobis, & operan-  
tem in nobis, atque adeo no-  
bis ita coniunctum concipe-  
re, timere, reuereri, nosque ei  
submittere debemus, vt iustif-  
simo, sanctissimo, & potentif-  
simo domino, & æquissimum  
seuerissimumque iudicẽ per-  
timefcere, leges eius seruare,  
si qua in re offenderimus nos  
metipsos accusare, veniam-  
que humiliter petere, ac si  
opus sit, pœnis etiam à nobis  
repetitis iustitiam eius in no-  
bis & contra nos cum eo ex-  
ercere.



Est & magister & doctor  
noster, qui per donum fidei  
& cætera illi consentanea,  
suam nobis sapientiam com-  
municat; & nostri, cætera-  
rumque rerū omnium, quas  
nouimus, cognitionē. Quod  
eius magisterium agnoscere  
debemus, & nos illi exhibere  
etiam non tantūm vt præsen-  
tes, sed etiam vt discipulos  
humiliter doctrinam eius ex-  
cipientes, & ei credere per fi-  
dem, & obsequi paratos, sæ-  
peq; ab eo petere vt nos tam  
interius per se, quàm per alios  
docere pergat, & fidei lumen,  
cæteraque dona prudentiæ,  
sapientiæ, scientiæ, intellectus  
in nobis multiplicet.

Ad hæc, bonum nostrum est



ac finis vltimus, & munificus  
bonorum operū remunera-  
tor ac glorificator, imo & opse  
merces nostra magna nimis,  
qui seipsum nobis in præmiū  
amplissimum proponit; &  
media ad id consequendum  
largitur benignissime, & præ-  
sens in nobis cōtinuō, animos  
ad se nostros nunc allicit, nūc  
etiam sollicitat, & ad aterna  
bona appetenda erigit, inui-  
tat ad coronam gloriæ, & tā-  
quam agonothea nō spectat  
tantū certantes, sed etiam  
excitat & iuuat; aut vt belli  
dux confortat nos pugnātes;  
vt protector fortissimus ab  
omnibus defendit hostium  
incurfibus; vt dux fidelissimus  
viam nostram dirigit; vt que

medi-



medicus diligentissimus in nobis ipsis medicinā nostris morbis facit, & sanat infirmitates omnes nostras. Hæ adeo vitales operationes Dei præsentis in nobis, adeo sua vestituli, quot occasiones nos eidem per spem & in omnibus huius vitæ discriminibus fiduciam colligādi; quot in conspectu eius currendi alacriter, strenuè certandi, pugnandique fortiter & constanter, incitamenta nobis præbent?

Denique Deus præsens in nobis per intellectum suum & voluntatem operatur, atque adeo liberè agit quidquid agit, & ex amore nostro ut quod nobis bene sit, & ita in nobis ipsis nos verè diligit, ut pater



amantissimus, sponsus charissimus, amicus fidelissimus, ne vno quidem momento cessans à nostri boni procuratione. Quare superiores omnes titulos hoc ultimo cumulat & perficit, vt non tantum sit creator noster perpetua nos operatione conseruans, aut Dominus nos gubernans, aut magister nos erudiens, aut agonotheta, dux, ac medicus; sed ex infinito amore quo nos prosequitur, hæc omnia in nobis operetur. Quo titulo illum præsentem in nobis ipsis concipere debemus acta continuo nos amantem, & ex eo amore operari non cessantem quæcunque nobis ad salutem & perfectionem cōdu-

cibilia



cibilia sunt, modo nos nihil impedimēti abijciamus. Quare ut nos illi etiam hoc modo praesentes reddamus, necessarium est, tum ut pariter ex vero eius amore nos ei totos reddamus illum & cognoscere, & amare non cessemus, tantae bonitatis gloriam procuremus assidue, & nostras omnes operationes amoris eius diuinissimo caractere insigniamus; tum ut in nobis perficiatur quod tanto cum affectu Christus Dominus amantissima illa sua flagrantissimaque oratione discipulis suis & nobis omnibus precatus est, *ut dilectio qua dilexisti, me in ipsis sit & ego in ipsis,* id est ut illa Dei dilectio, qua

Ioan.  
17.



prior nos ille dilexit in nostrum quoque transeat affectum: sic enim qui amat Deum vnus spiritus efficitur cum illo. Et certè non est difficile animæ amanti, Deum quem in se sensu quodam interno experitur formantem amorem suum & mira operantem, præsentem sibi facere: sicut enim ex Dei amore merces in altera vita sequitur, visio Dei; ita ex eodem amore contemplatio Dei intimè præsentis in hac vita proficiscitur, ex qua iterum fit vt ille ipse amor magis augeantur, & vicissim auctus suauissimâ Dei præsentiam longè familiarior efficiat. Breue præceptum Augustinus nec minus

efficax,



efficax, *Si vis videre Deum  
ama.*

Tot ergo modis quælibet  
creatura Deo præsentem, & rã  
varia multipliciaque operan-  
te plena, quid mirum si con-  
tinuò illum sentire quodam-  
modo in se, & eidem etiam  
sese reddere varijs modis  
queat? Quid mirum si seueri  
iudicis iustitiam præsentem  
intimè, & operantem sentiat  
reus, eique sese submittat? si  
misericordiam miser & pec-  
cator, bonitatem & amorem  
indignus filius, sapientiam  
cæcus & insipiens, potentiam  
infirmus, sanctitatem abomi-  
nabilis peccator, plenitudi-  
nẽ denique omnis perfectio-  
nis pauper & omniũ egenus



in se alijsq; residentem agnoscat, colat, magnificet, & toto in eam amoris impetu feratur.

### CAPVT VIII.

*Ad Christi Domini praesentiam perfectam unio etiam requiritur.*



Ec verò minus ipsa Christi Domini veri Dei & hominis praesentia ad unionem moralem nobiscum pertinet. Et quidem quod spectat ad sacratiss. Eucharistiae sacramentum nihil addendum occurrit ijs quae hac de re dicta sunt part. 3. de sanctissimo sacrificio Missae,

vbi



ubi quàm excellens sit hæc v-  
nio, quæ ex Christo nobis  
præsente efficitur, descripsi-  
mus.

In cœlo vero positus, licet  
nobis non sit intimè præsens,  
sicut nec in Eucharistia, quan-  
do realiter non sumitur, ta-  
men præterquam quod ille  
ipse qui è cœlo nos spectat  
Deus est immensus, ac proin-  
de quatenus est Deus, intimè  
nobis adest, etiam modus ille  
præsentię sacratissimę huma-  
nitatis siue in cœlo siue in Eu-  
charistia nobis abundè suffi-  
cit ad excellentes etiam mo-  
dos vnionis moralis cum il-  
lo. Certum enim est quod ip-  
samet de se veritas pollicita  
est. *Et ecce ego vobiscum sum*

Matt.  
vlt.

C 5

vsque



vsque ad consummationem se-  
culi, non tantum quatenus  
Deus, verum etiam quatenus  
homo. Iam vero ubi fides illi  
sic presentem nobis fecit per  
omnes illos actus quos supra  
retulimus, cum illo coniungi  
possimus, ut cum nostro ma-  
gistro & doctore, nostro piis-  
simo Redemptore, qui factus  
est nobis iustitia & pax & san-  
ctitas, nostro rege, duce, legis-  
latore, patre, fratre, cibo, ami-  
co fidelissimo, ac sponso dul-  
cissimo: sub quibus etiam ti-  
tulis eum nobis representa-  
re, nosque eidem unire con-  
venientibus religionis, spei,  
& vero precipue amoris acti-  
bus, possumus; & quidem in  
ipsa sanctissima Eucharistia



ita praesens est nobis, ut intellectu & voluntate hanc velut inter nos sedem, & domiciliū sibi delegerit, in quo in nostri quasi medio habitaret non otiosus, sed praeter eas operationes quas ut Deus exercet, tanquam nostrum caput in omnes nostras actiones supernaturales moraliter influens, atque adeo totam velut vitam suam & passionem renouans: quem eundem influxum cum è caelo praestet, eum ibi & nos spectantē & iuuantem, & opera omnia nostra operātem, possumus cōtemplari, ut sensibilibiter etiam impleatur quod per Prophetam promiserat:

*Firmabo super te oculos meos*

Psal.  
31.



Act. 9.

quod expertus sanctus stephanus amore ipsius inardescens plenusq; fiducia exclamavit: *Vide o caelos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei: stantem id est paratum mihi adesse, & praesens ferre auxilium. Verum hac etiã de re satis multa tradita sunt in opusculo de amore Christi.*

## CAPVT IX.

*Causa efficiens huius exercitij  
Deus est.*



TQVE haectenus de natura huius exercitij pro instituto breuiter. Nunc que ad eius praxim spectant,



stant, paucis etiam aperiamus. Atque imprimis declarandum est quis eius sit fons, quod principium, quæ prima causa efficiens. Nam non pauci, cum ad hanc praxim aggre-  
diuntur, ita se gerunt, ut videantur existimare posse se industrijs quibusdam, quas varias excogitant, ad eam peruenire, de Dei autem auxilio vel nihil vel parum sunt solliciti; cum tamē certissimum sit, pendere hoc opus à Dei gratiâ, non quavis, sed singulari. Est enim arduum per se, & vel proprium perfectorum, vel efficacissimum ad omnē perfectionem instrumentum, atque adeo singulare donum, quod cōcursum actualis eius



gratiæ specialem requirit, si-  
ue agatur de Dei præsentia in  
se, & alijs rebus omnibus cer-  
tâ fide agnoscedâ, atque adeo  
de seipso præsentem illi con-  
stituendo, siue de vnione vo-  
luntatis cum eo efficiendâ per  
actus spei, amoris, religionis.

Pendet ergo tota hæc præ-  
xis à singulari Dei vocatione  
& excitatione, quæ certè est  
instar clavis, qua intima di-  
uinæ maiestatis aula nobis  
aperitur, vt eam in solio ma-  
gnificentiaæ suæ sedentem &  
præsentem agnoscamus, &  
fruemur, quantum hæc vita  
patitur, cum eoque familiari-  
ter versetur. Et certè cum  
hæc vna res maximum præ-  
stet ad salutem adiumentum,

expe-



experientia compertum est, diuinam bonitatem ex sese effundere quaquauersum radios in creaturas suas rationales, vt ab eis agnoscatur & amari queat. Cùm enim intimè ijs sit immersa, eas continuò quodammodo admonet, & occultissimis modis stimulat, maximè abditis motibus agitat, ad hoc excitat, & ad se, non secus atque magnes ferrum, allicit. Nam præter naturale pondus, quod cuique creaturæ inditum est, vt sese suo fonti & authori reddat, vt bonitatis eius gloriã suo modo adaugeat; Solet eadem bonitas creaturæ rationali addere gratiæ dona, vt non naturali tantùm instinctu &

impe



impetu Deum agnoscat, & complectatur, ut creatura omnes; sed etiam pro ratione libertatis sponte omnino & voluntariè id faciat, nō secus atque Deus ipse, qui liberè se in creaturas effundit, & easdem retrahit in se ipsarum finem vltimum, efficiatque ut omnes gloriæ suæ seruiant. Solet autem in perfectis elucere vis peculiaris huius gratiæ, adeo ut eorum vita tota penè nihil aliud esse videatur quam Dei præsentis contemplatio, quæ totius vitæ spiritualis est veluti scopus & perfectio: *Hæc enim ut apud Cassian. Isaac, destinatio solitaria hæc esse debet omnis intentio. ut imaginem futuræ beatitudi-*

Col.  
10.  
c. 10.



nis in hoc corpore possidere mereatur, & quodammodo arrham caelestis illius conuersationis & gloriae incipiat in hoc vasculo degustare. Hic inquam finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritalia quotidie sublimetur, donec omnis eius conuersatio, una volutatio cordis, una & iugis efficiatur oratio. Quamquam & proficientes & incipientes pro suo etiam gradu eius capaces sint, etiam si in Deo omnino non acquiescant, varijs adhuc motibus agitati, nec humanarum adhuc rerum & affectionum vinculis expediti, summo illi & vnico bono penitus adhaereant; nihilominus tamen



si proficientes sunt, eo tendere debent, & iteratis sæpius sancti huius exercitij actibus velut gradibus ad eum propius in dies accedere, ac proinde omnibus modis contendere debēt, vt sese ad eam gratiam aptè disponant.

## CAPVT X.

*Causa meritoria eiusdem exercitij, est Christus Dominus.*



**Q**UANTO ea est Dei ad hominem inclinatio, vt delicta eius sint esse cū filijs hominum, adeoque ipse pro sua infinita bonitate ardentè exoptat se continuo

ho-



homini praesentem exhibere,  
 eumque vicissim sibi habere  
 praesentem: unde & dicebat  
 Abrahamo. *Ambula coram* Gen.  
*me & esto perfectus*; tamen ut 19.  
 hanc homini gratiam largia-  
 tur abundantius Christi Do-  
 mini veri Dei & hominis me-  
 ritum fecit. Nam hoc impri-  
 mis à Deo petijt in ardentis-  
 sima illa & efficacissima ora-  
 tione, quam ante passionem  
 suam fudit, *ut omnes unum*  
*sint, sicut tu pater in me, & ego*  
*in te, & ipsi in nobis unum*  
*sint. Ego charitatem quam de-*  
*disti mihi dedi eis, ut sint u-*  
*num sicut & nos sumus, ego in*  
*eis, & tu in me, ut sint consum-*  
*mati in unum.* Hæc est enim  
 verissima rationalis creaturæ



consummatio, si intellectu,  
& volūtate se ita refundat in  
suum principium, vt immen-  
sæ illius maiestatis & bonita-  
tis gloriam vna cum illa pro  
suo modulo hic & in æternū  
adaugeat: quod hoc exerci-  
tio perfectissimè facit. Ita ex-  
plicat eum locum Abbas I-  
saac apud Cassian. allato e-  
nim eo Ioannis loco sic ait.

Col.  
ro.  
cap. 6.

*Quod ita fiet cum omnis amor,  
omne desiderium, omnis cona-  
tus, omnis cogitatio nostra, om-  
ne quod videmus, quod loqui-  
mur, quod speramus, Deus erit,  
illaq; unitas que nunc est patris  
cum filio, & filij cum patre in  
nostrū fuerit sensum mentemq;  
transfusa, id est, vt quemadmo-  
dum nos ille sincera & pura at-*

*que*



que indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua & inseparabili dilectione iungamur; ita nimirum fiet ut eidem copulati, quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, Deus sit.

Præterea ipsa Sanctissimi Sacramenti institutio sicut Deum ipsum unitum sacratissimæ illi humanitati nouo quodam modo nobis presentem operantemque facit; ita non dubium est quin hæc ipsam Dei præsentiam & unionem cum illo per fidem, spem, charitatem, ac religionem ex opere operato, atque adeo propter Christi Domini merita plurimum in nobis perficiat. *Hæc enim mysteria,*

in-



inquit Hilarius, accepta atque  
hausta id efficiunt, ut nos in  
Christo & Christus in nobis sit.  
quod si Christum verè nobis  
præsentem operante eius me-  
rito habemus; dubitandum  
non est quin eadem operâ di-  
uinitatem etiam ipsam pecu-  
liari aliquo modo nobis inti-  
mè præsentem ex eodem me-  
rito habeamus: tanta enim est  
inter diuinitatem & humani-  
tatē in Christo coniunctio, ut  
si, quod fieri non potest, diui-  
nitas per immēsitatem suam  
ubique non esset, totam in-  
hilominus secum sibi que per-  
petuò affixam eam haberet  
Christi humanitas, & ita v-  
bi esset Christus, ibi & Pater  
& Spiritus sanctus necessario

existe-



existerent. Vnde præclare in-  
fert idem Hilarius : *Si verè*  
*Verbum caro factum est, & nos*  
*verè Verbum carnem factum*  
 *cibo dominico sumimus, quo-*  
*modo non naturaliter manere*  
 *in nobis existimandus est, qui*  
*& naturam carnis nostrae iam*  
 *inseparabilem sibi homo natus*  
 *assumpsit, & naturam carnis*  
 *suae ad naturam eternitatis,*  
 *sub sacramento nobis commu-*  
 *nicandae carnis admiscuit? Ita*  
 *enim omnes vnum sumus, quia*  
*& in Christo Pater est, &*  
 *Christus in nobis. Haetenus*  
 *Hilarius. Denique illam v-*  
 *nionem intellectus & vo-*  
 *luntatis nostrae cum Christo*  
 *Deoque hoc Sacramento ita*  
 *effici, vt desinente reali e-*



Ioan.  
6.

ius in nobis præsentia illa superstes maneat, indicat promissio Christi: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*; hoc enim verbo manet potissimum, toto illo capite delectatus esse videtur, ut significet quasi moram & habitum quendam permanentem intimæ coniunctionis.

## CAPVT XI

*Debet se quisque ad eam gratiam disponere, & ei cooperari.*



VERVM etiãsi Christus Dominus eam diuinæ præsentiæ cõtemplationem, licet & reliqua omnia quæ ad

salu-



salutem nobis aliquid confe-  
runt, abundantissimè nobis  
fuerit meritus, nihilominus  
tamen ad illud idem requiri-  
tur aliqua nostra cooperatio.  
Quare ad eam gratiam dispo-  
nere nos debemus, imprimis  
que altissimum illud humili-  
tatis fundamentum iacere, &  
humiliter agnoscere nostra-  
rum virium non esse hoc ex-  
ercitium: ideoque & indigni-  
tatem nostram ob pristina  
peccata, & ad omne bonum  
infirmi-  
tatem, ac impotentiam  
humiliter profitentes, tantum  
à Deo donum per filij eius me-  
rita frequenter petamus.

Deinde valde operæ pre-  
tium, est vt bene apprehen-  
damus nostram & omnium

D

crea-



creaturarum nihilitatem, ut  
ita loquar, sic enim facilius  
poterimus peruidere & pene-  
trare in omnibus immensi-  
tatem diuinæ essentia, quæ  
omne esse creatum sustentat,  
continuoque influit in res  
omnes esse, posse, & operari;  
& in illis ipsis agnoscere ma-  
gis Deum presentem quam  
ipsasmet creaturas; cum nihil  
aliud sint, si cum Deo compa-  
rentur, quam umbræ quedam  
tenuissimæ, ac prope nihil.  
Cum enim præter Deum so-  
lum nulla res prorsus habeat  
esse à se, sed participatum à  
Deo, qui ad suæ bonitatis  
gloriã ita cõmunicat singulis  
id quod sunt, ut per illud ip-  
sum esse creaturarum, infini-  
tum



tum essentiae suae & ceterarum  
perfectionum pelagus mani-  
festare intendat; certè ma-  
gnam habemus occasionem  
Deum in omnibus agnoscen-  
di potius quàm eas ipsas. Qua-  
re hoc exercitium maximè  
solidam requirit humilita-  
tem, cuius est sentire in se  
suum nihilum: Ideoque ve-  
rissimè dixit S. Hugo Vict.

*Frustra cordis oculum erigit ad  
videndum Deum, qui nondum  
idoneus est ad videndum semet-  
ipsum, prius enim est ut invisibi-  
lia spiritus tui cognoscas, quàm  
possis esse idoneus ad videndum  
invisibilia Dei.* Hæc ille.

Præterea valde iuvat pius  
erga Deum voluntatis affe-  
ctus, & præcipuè purus &



feruens Dei & Christi Iesu amor. Nam cum is sollicitet continuo amantem, ut se cum amato uniat, atque coniungat; necessario etiam illum presentem ei continuo reddit: ubi enim amor, ibi oculus.

4. Inde etiam fit ut sit prorsus necessarium magnum profectus spiritualis desiderium: Cum enim consistat ille in recessu a se & rebus creatis & accessu ad Deum, magna omnino parit facilitatem, Deum ubique presentem & operantem agnoscendi & amplectendi. Et praeterea cum proficiens experiatur quotidie nova Dei dona, & beneficia, sentiatque quodammodo Deum in se maiora quotidie operantem,

tem,



tem, habet certè vnde Dei in se operantis praesentiam nouo quodam in dies modo concipiat.

Denique conari debet, vt<sup>s.</sup> in hac re sese exerceat diligenter, & in eum finem varias sibi praxes conficiat pro suo ingenio; breuiter nos vnicam illam, quæ à Beato Patre nostro Ignatio commendata est, explicabimus, & ad usum actionum quotidiana- rum accommodabimus.

## CAPVT XII

*Quomodo Deum in nobis praesentem & operantem cogitare possimus.*





T hoc adeo fru-  
 ctuosum & diui-  
 num exercitium  
 ad praxim reuoce-  
 mus, non procul à nobis ab-  
 eundum est. Nam infinitus  
 Deus non longè est ab unoquo-  
 que nostrum, in ipso uiuimus,  
 mouemur, & sumus: & ipse in  
 nobis est, uiuit, & immotus  
 mouet omnia, & nobis de suc-  
 esse, uiuere, & operari ita quas  
 habemus particulas commu-  
 nicat, ut tamen in ipsis sit to-  
 tus, & totus à nobis & conce-  
 pi & sentiri quodammodo  
 possit & debeat in nobis. Si e-  
 nim, ô anima, sentiste esse  
 quomodo non magis non  
 sentis eum qui est fons omnis  
 esse, atque adeo profundior

tib.



tibi est teipsa , & magis tibi  
praesens quam tu?

Vt autem id magis appre-  
hendatur , expedit non sim-  
plicem duntaxat & nudam  
praesentiam , sed ipsam etiam  
eius in nos voluntatis incli-  
nationem & operationes co-  
gitare.

Primò enim ita in vno-  
quoque est vt infinito & æ-  
terno amore feratur , ad il-  
lum amandum , & volendum  
ei illa omnia bona quæ ha-  
bet.

Secundò , non amat tan-  
tùm , sed continuò illum creat  
& conseruat ; illum , inquam ,  
totum , corpus , animam , mem-  
bra omnia , potentias , vires  
naturales , adeoque in singu-



la veluti momenta, quasi de nouo dat homini id totum quod est.

Tertiò, non tantùm dat & efficit, cõtinuò esse naturale, sed etiam supernaturale, ni mirum gratiam & habitus omnes supernaturales, qui nisi ab eo præsentè & operante continuò, in nobis conserua- rentur, statim disfluerent, id- que eo citius, quo huiusmodi dona sunt in nobis veluti ex- tra proprium locum ac in so- lo peregrino: ab eo ergo om- nis sanctitas, omnis sapien- tia, omnis potentia, omnis iustitia.

Quartò non tantùm dat esse & posse, sed etiam opera- ri. Itaque omnia ipse opera-

tur



tur in omnibus, & in ipso ac-  
per ipsum operamur, & sine  
ipso cessaret omnis operatio  
nostra, cessaret, motus, cessa-  
ret sensus, cessaret intellectio,  
cessaret amor; non secus at-  
que sine eius concursu, ignis  
nec calefacere potest, nec lu-  
cere.

Quintò, verùm id facit  
longe mirabilius quoad ope-  
rationes supernaturales; ipse  
enim est qui operatur in no-  
bis velle & perficere: Et vt ait  
Arausic. Concil. secundum.

*Quoties bona agimus Deus in  
nobis atque nobiscum vt opere-  
mur, operatur.* Nam ex infi-  
nita illa intellectione & dile-  
ctione sui ipsius deriuat in  
nos fidē, spem, charitatem, re-



ligionem, aliasque virtutes,  
& earum actus; quos cum eli-  
cimus ipse in nobis & no-  
biscum eos elicit, non tan-  
tùm concursum suum nostris  
facultatibus tribuendo, sed  
tanquam verissima, & prima-  
ria causa in eosdem actus in-  
fluendo. Quare in me & me-  
cum seipsum intelligit, seipsum  
amat, seipsum colit, atque  
ita suo me auxilio inuitat, ut  
vitam ego vermiculus diuinæ  
simillimam ducam.

Sextò, non posset hæc om-  
nia operari nihil infinita eius  
potentia, iustitia, sapientia,  
& cætera attributa in me exi-  
sterent, quæ quasi expendit  
in me meosque usus; nec enim  
sunt otiosa, sed omnia tam

excel.



excellentibus operationibus funguntur, & intimè mihi vinita diuino & ad diuina excitante spiritu me animant.

Septimo, dum in me est admirabilia illa sua opera cōtinuò exercet. Nam sese contemplatur ibi & amat, atque adeo Pater Filium generat, & vterque Spiritum sanctum producit in me; in me seipsū admiratur, seipsum glorificat, laudat, beatificat, fruiturq; seipso, in me suam ipse bonitatem, iustitiam, sapientiam, potentiam, sanctitatem, magnificat, aestimatque condignè, & apud se illustrat; Et vt extra etiam illustret, ex infinitis creaturis possibilibus quas in se contemplatur, in-



tuetur eas quas fecit, facit, & facturus est, continet omnes, & conseruat, ac omnibus prouidet, & vniuersa ordinat: Vt in me est, præterita omnia videt, præsentia intuetur, futura prospicit, quia nihil illi præteritum, nihil futurum. In me longissimè posita diiudicat, gubernat, & dirigit perinde vt præsentia: in illo omnia præsentia mihi sunt, præterita, & futura, contigua & procul posita, Angeli omnes & Sancti, loca omnia, tempora, personæ, creaturæ, operationesque illarum omnes, bona & mala, nouissima & antiqua. Cumq; omnes meæ operationes, sint quedam eius participationes, ipse,

dum



dum me excitat, adiuuat, & concurrit mecum, extra se ponit quasdam veluti imagines & simulacra suarum operationum & perfectionum æternarum. Itaque, dum orare me facit, aliquo modo à sua bonitate & maiestate petit id bonum quod me postulare facit, idque ad eiusdem bonitatis gloriam, dum facit se amare, se cognoscere, se laudare & magnificare, se timere, se motis harum nostrarum operationum imperfectionibus, declarat veluti quibusdam signis quid secum ipse faciat; dum inspirat, & in me efficit poenitentiam & mortificationes, quibus de peccatis poenas à me repetam;



suam veluti exprimit iustitiam; dum opera misericordiae erga alios, suam charitatem; deniq; , dum mihi tot & tanta bona corporis & animæ, vitam, integritatem, alimentum, incrementum, sanctitatem, & alia quæuis impertit, testatur hoc veluti signo, quid ipse sibi sit, & quanta sit abyssus bonitatis ipsius & amoris erga se, quo seipsum sibi ipsi vult, & seipsum seipso perficit: atq; adeo ex infinita vi amoris huius etiam meipsum totum, vt participatam eius bonitatem in me habentem, in sese retrahit, & ad immensæ illius bonitatis gloriam extrinsecam dirigit. *Eia ergo, inquit D.*

Aug.



August. *dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit, plane moriar mihi ipsi, ut tu solus in me viuas; totus in me sileba, ut tu loquaris in me, totus quiescā, ut tu solus opereris in me.* Ad eundem modum nos in ipso sumus, cum nostrum esse & operari ita vndique intra illū terminamus, ut nusquam foras abeat in res creatas. Et sicut ipse omnia operatur in nobis, ita & nos omnia nostra in ipso & propter ipsum operemur; ipsum cōtinuò intelligamus, ipsum amemus, & praesentem complectamur, nihil quod ipsum dedeceat coram ipso & in ipso agamus, sed, quam ipse in nobis operatur vitam diuinam, in ipso pariter nos viuamus.



## CAPVT XIII.

*Præsentem & operantem in nobis Deum cogitare & complecti debemus, quemadmodum ipse seipsum sibi præsentem complectitur, cum ipse nobis sit huius exercitii perfectissimum exemplar.*



**P** R A E S E N T I A E  
ergo Dei in nobis  
exemplar: perfe-  
ctissimum est ipsa  
Dei præsentia, qua scilicet si-  
bi in seipso præsens est, adeo  
vt merito conari debeat is,  
qui cum Deo versari amice  
& familiariter desiderat, vt i-  
ta illum præsentem in se ha-  
beat, sicut ipse sibi est præsens,

tibi



sibi ipsi est domus, ciuitas, tabernaculum, regnum, templum: sicut enim naturæ nostræ perfectiones & operationes, vita, intellectio, amor, sunt quædam participationes naturæ diuinæ perfectionum & operationum: ita etiam hæc nostra Dei præsentia diuinæ ipsius participatio est. Quare quemadmodum pars toti suo, non præsens tantum, sed etiã intimè vnita esse optat, tum in bonum totius, tum vt ipsa met conseruetur: ita quoque anima nostra & naturali & supernaturali inclinatione atq; appetitu, secundum impressam sibi à Deo participatam vim se ei reddere, & in eum immergere continuò

desi-



desiderare ardentem debet, ut  
sicut Deus, sibi ipse presentif-  
simus est, ita & anima nostra  
ut pars suo toti, id est, Deo  
ipsi tota cohaereat, & seipsam  
ei reddendo, Deum ipsum  
sibi presentem efficiat. Nam  
Deus ipse, cum examabilissi-  
mae bonitatis suae amore ad  
extra per tot operationes in  
anima sese effundit, ipse, ut  
ita dicam, videtur à se diuis-  
sus & absens. Quare sicut per  
infinitum increatumque a-  
morem sibi ipsi praesens est  
continuo, ita & per creatum  
& à se principatum amorem  
vult sibi ipsi, quatenus extra  
se effusus est, sibi reddi. Et in  
eo consistit perfectissima imi-  
tatio SS. Trinitatis. Nam

Pater



Pater æternus, dum seipsum  
semper præsentem contem-  
platur, generat Filium, non  
extra se, sed in seipso, sibi que  
ipsi præsentissimum: vterque  
verò dum mutuò sese amore  
præsentem complectuntur, in  
se etiam Spiritum Sanctum  
producunt: adeo vt quælibet  
persona diuina cuiuslibet per-  
sonæ præsentissimam atque  
adeo vnicam omnino diui-  
nam naturam repræsentet &  
exhibeat. Et hoc ipsum pete-  
re videtur Christus à Patre  
cum orat, vt vnus finis, si-  
cut Pater & Filius, vnus  
sunt; vt quemadmodum Fi-  
lius in seipso præsentem  
habet semper Patrem, & in  
eo habitat vt in proprio  
loco,



loco, & vicissim Pater in eo, cum eiusdem naturæ sit; ita in nobis præsens sit semper Deus, nosq; illi vicissim: sicutamen vt quemadmodum Pater, Filiū generando operandoq; ad intra, ipsi præsens est, & vicissim Filius Patrem amando in Spiritu Sancto sese illi exhibet; ita etiam Deus operando ad extra in nobis præsens sit, dum nobis communicat esse, tam naturale, quam præcipuè supernaturale: nos verò per amorem ei vniti, semper ipsi seipsum in nobismetipsis repræsentemus: vt veluti coniunctissimæ inter se, & in seipsis tres diuinæ personæ sine vlla confusione, modo plane stupendo, & ad-

mira-



mirabili circumfessione ver-  
santur, ita & nos in Deo, &  
cum Deo Patre, Filio & Spiri-  
tu Sancto praesente in nobis,  
coniunctissime amicissime-  
que versemur, & ipse in no-  
bis.

## CAPVT XIII.

*In Christo etiam habemus exē-  
plar exercitiū huius, quo  
Deum in nobis praē-  
sentem contem-  
plamur.*



Sed in Christo Do-  
mino habemus  
perfectum huius  
exercitij exēplar;  
nam multis modis praesens in  
eo erat Deus, & ipse sese Deo



vicissim præsentē reddebat: Præter vnionem enim hypostaticam, per innumera alia dona gloriæ, gratiæ, & naturæ, homini illi Deus præsentem sese exhibebat, & ipse tot instructus donis præsentiam diuinam tot modis in se diffusam apprehendebat continuo, & complectebatur. Erat in eo Beatissima Trinitas nouo quodam modo ob vnionem personæ Verbi cum humana natura: erat Pater Filium humanitati vnitum generans, erat Pater, & Filius ipse vnitus humanitati, Spiritum sanctum producens: erat, Pater Filius & Spiritus sanctus diuinam Verbi personam vnians humanitati: erat

Ver.



Verbum unitum, ac proinde  
 presentissimum, hominem  
 illum penetrans, & sua illum  
 dignitate ac sanctitate im-  
 buens, oleoque iustitiae per-  
 fundens, vel ignis instar fe-  
 rum ignitum peruadens; erat  
 Deus in Christo doctrina sua  
 mundum illuminans, homi-  
 nes in filios adoptans, sanctis-  
 simae vitae exempla proferens,  
 miraculis & admirandis ope-  
 ribus sese manifestans, deni-  
 que mundum sibi reconci-  
 lians. Quare ipse Christus  
 dicebat: *Pater meus usque mo-  
 do operatur, & ego operor: Pa-  
 ter autem in me manens ipse fa-  
 cit opera.* Et alibi. *Doctrina*  
*mea, non est mea, sed eius qui*  
*misit me.* Unde erat sacratissi-

Ioa. 8.

Ioa. 7.

ma



ma Christi humanitatis veris-  
 simum Dei templum, in quo  
 ei cultum excellentissimum  
 continuò deferebat. Erat al-  
 tare quod suo etiam sanguine  
 tinxit in passione: Erat do-  
 mus & palatium Dei, & vicif-  
 sim, in Deo vt loco proprio  
 eadem ipsa habitabat, sicut &  
 ipsum Verbum erat apud  
 Deum. Quare hortatur Apo-  
 stolus Collossenses, vt Christi  
 exemplo vitam suam abscon-  
 dant in Deo: *Mortui, inquit,*  
*estis, & vita vestra abscondita*  
*est cum Christo in Deo.* O ani-  
 ma mea quo vagaris? tandem  
 absconde te ibi, vbi Christus,  
 vita tua, semper fuit, vbi om-  
 nia tibi reposita sunt, ibi cum  
 Iesu viue, ibi crede, spera, ama,

cole



cole Deum, ibi proximum  
 complectere, ibi ora, & cum  
 Iesu suauiter colloquere. Nā  
 ibi tantum & nusquam alibi  
 poteris Iesum inuenire, & il-  
 lo frui.

## CAPVT XV

*Sancti etiam eundem nobis mo-  
 dum suo exemplo tradi-  
 derunt.*



EST & in Beatis ex-  
 emplar huius ex-  
 ercitiij. Id quod  
 docet Moses apud  
 Cassianum, vbi exponit id;  
*Regnum Dei intra vos est*, vt si-  
 cut Beati in seipsis Deum ha-  
 bent, & per actus intellectus  
 & voluntatis eum comple-  
 ctuntur, eoq̄e fruuntur &

E

Beati



Beati sunt: ita etiam in hac vita idem præstemus, qui enim eos beatificat in nobis est. B. Catharina Senensis vtrumque hunc modum vsurpabat ingenti cum fructu: Nam imprimis longo vsu didicerat, in seipsa, secretum veluti quoddam Dei cubiculum & sacrarium construere, in quo Deum continuò præsentem & habitantem intueretur, quem colere & adire posset cum vellet, cum eo colloqui, & consilium in rebus dubijs, & in tentationibus auxilium postulare. Id quod etiam suadebat alijs omnibus, & imprimis suo confessario fratri Raymundo: Eadem ipsa sæpe Dei immensitatem contem-

plaba-



plabatur, & seipsam in eo  
 non secus atque in beatissimo  
 quodam vel carcere, vel arce  
 munitissima, vel ciuitate con-  
 clusam, extra quem vagari, à  
 cuius voluntate, sapientia, bo-  
 nitate, amore, misericordia,  
 iustitia, regimine, delitijs, abi-  
 re nullo modo posset: ac pro-  
 inde per quem bona omnia  
 malave cætera transire ad  
 se necesse esset: Iuxta id;

*Non accedet ad te malum, & Ps. 90.*

*flagellum non appropinqua-  
 bit tabernaculo*

*tuo.*





## CAPVT XVI.

*Modus hanc Dei presentiam in  
nobis per simplicem fidei  
actum cogitandi.*



**H**ANC presentiam  
Dei in nobis, &  
vicissim nostram  
in Deo possumus  
vel simplici fidei actu appre-  
hendere, vel sensibili nosi-  
maginatione iuuare. Vtrius-  
que adiuuenta scriptura sup-  
peditat. Vnum ex Abbatis I-  
saac doctrina apud Cassianū  
exemplum proferam, quo ex  
vnico illo versiculo. *Deus in  
adiutorium meum intende,* oc-  
casionem offerri asserit, Deū  
multis modis presentem cū

maxi-



maximo fructu spirituali simplici fidei actu contemplandi; adeo ut id unum ad perfectionem acquirendam satis esse affirmet. *Hac igitur, inquit, vobis quam queritis discipline atque orationis formula proponetur, quam unusquisque Monachus ad iugem Dei memoriam tendens, incessabili cordis volutatione meditari, expulsa omnium cogitationum varietate consuescat, quia nec alias ullo modo poterit retentare, nisi ab omnibus fuerit corporalibus curis ac sollicitudinibus absolutus, quae sicut nobis à paucis, qui antiquissimorum patrum residui erant, tradita est, ita à nobis quoque, non nisi rarissimis ac verè sitientibus in-*



timatur. Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam possidendam hac inseparabiliter proposita vobis formula pietatis. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Hic namque versiculus non immeritò de toto scripturarum excerptus est instrumento; recipit enim omnes affectus, quicumque inferri humane naturae possunt, & ad omnem statum atque vniuersos incursus propriè satis & competenter aptatur. Habet siquidem aduersus omnia discrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis & timoris perpetui vigilantiam habet considerationem fragilitatis suae, exau  
ditio



ditionis fiduciam, confidentiam  
praesentis semper astantisque  
praesidij. Qui enim iugiter  
suum invocat protectorem, cer-  
tus est eum esse semper praesen-  
tem. Habet amoris & charita-  
tis ardorem, habet insidiarum  
contemplationem, inimicorum-  
que formidinem, quibus per-  
spiciens semetipsum die noctu-  
que vallatum, confitetur se non  
posse sine sui defensoris auxilio  
liberari. Hic versiculus om-  
nibus infestatione demonum la-  
borantibus inexpugnabilis mu-  
rus est, lorica impenetrabi-  
lis, ac munitissimus clypeus.  
Iste in acedia & anxietate  
animi collocatos, seu tristi-  
tia vel cogitationibus qui-  
buscumque depressos, salutis



remedia desperare non patitur, ostendens illum quem invocat inspicere iugiter nostra certamina, atque à suis supplicibus non abesse. Iste nos in spiritualibus successibus cordisque letitiæ constitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari de prospero statu, quem sine protectore Deo retineri non posse testatur, dum, non solum eum semper, sed etiam velociter ut sibi auxilietur, implorat. Iste, inquam, versiculus unicuique nostrum in qualibet qualitate degenti necessarius & utilis invenitur. Nam qui se semper & in omnibus desiderat adiuvari, manifestat quod non tantum in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac letis pari modo



modo Deo egeat adiutore, ut quemadmodum ex illis erui, ita in istis eum faciat immorari, in neutro sciens humanam fragilitatem sine illius opitulatione subsistere. Hæc ille quæ fuse profequitur.

Quod Cassianus de vno illo versiculo asserit, idem de plerisque alijs Scripturæ locis affirmare possumus. Nam eadem est vis illius: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est ne commovear.* Et illius: *Vivit Dominus in cuius conspectu sto hodie.* Et alterius: *Ambula coram me & esto perfectus:* suntque quamplurima id genus, quæ utiliter possent colligi, & ad hoc exercitium singula in



singulos dies, si ita videretur,  
assumi. Nec verò actum il-  
lum fidei his & similibus scri-  
pturæ locis ita coniungi sem-  
per est necesse, vt non possit  
ex aliorum penè omnium re-  
rum consideratione excitari  
& exerceri: pari enim faci-  
litate possumus Deum in  
omnibus creaturis existen-  
tem & operantem fidei oculis  
intueri, Christumque ipsum  
Dominum vel in Cœlo vel  
in Eucharistia existentem, &  
nos intuentem, bonaque om-  
nia nostra quodam modo  
operantem contem-  
plari.



## CAPVT XVII.

*Sub quibus sensibilibus imagi-  
nibus, Dei praesentiam in  
nobis cogitare pos-  
simus.*



REQVENTER  
Scriptura sacra sen-  
sibiles quasdam res  
proponit, vt occa-  
sionem det Deum in nobis  
ipsis facilius agnoscendi. Nam  
cum Deum in nobis praesen-  
tem esse significat, solet nos  
& cor nostrum vocare Dei  
domum, habitaculum, ta-  
bernaculum, templum, reg-  
num, ciuitatem, palatium,  
cubiculum secretum, tribu-  
nal, solium, hortum, a-  
grum, vineam, & id genus a-



lia. Quibus indicatur non tantum Deum ibi esse presentem, sed etiam versari in nobis libenter & peramanter, sua in nos bona inuehere, seipsum communicare, nobiscum familiariter colloqui, & nos vicissim audire loquentes & orantes, sanctificare que nos & honorare, regere & gubernare, vt clarè significatur in Leuitico: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus.* Nec verò solum declarat quo sit Deus erga nos affectu in quibus habitat, sed etiam edocet quales nos esse necesse sit, vt simus Dei cubiculum,



culum, templum, atque adeo  
quid vicissim Deo præstare  
debeamus. Ita Paulus cùm su-  
periora verba attulisset, sic  
Corinthios adhortatur. *Has  
ergo habentes promissiones, cha-  
rissimi, mundemus nos, ab omni  
inquinamento carnis & spiri-  
tus, perficientes sanctificatio-  
nem in timore Dei.* Certè non  
tantùm Dei templum, & do-  
mus, & regnum sumus, in  
quibus Deus habitet vt in cæ-  
teris creaturis; sed sumus ani-  
mata & rationalis domus,  
templum, regnum: vt pote  
qui non modò naturaliter  
modoque mortuo, sed vitali-  
ter, & pro innata libertate,  
iuuante tamen eius gratiâ,  
liberrimè ratione & volunta-



Apo. 3

te Deum habitatorem excipiamus, contemplemur atque sentiamus; adeò vt non tantùm vt in propria domo sic habitet Deus in nobis, sed etiam nobiscum in nobis ipsis non secus atque cum amicis, atque adeò cum seipso iucundissimè conuerletur. Ego, inquit, sto ad ostiũ & pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Quid homini optabilius esse potest, quàm in seipso participem effici illius cœnæ, qua Deus ipse seipsum seipso exsatiat? Quare duplex hic esse debet hominis in Deum inclinatio, & veluti officium. Primùm quidem vt seipsum reddat idoneam Dei  
 habi.



habitationem, domum firmam, commodam, templum omnibus rebus ad cultū Dei internum necessarijs, altari, hostijs, ornamentisque cæteris instructissimum; hortum elegantem, & multiplici florum fructuumque varietate abundantem; munitam undique & bonis legibus temperatam civitatem; & regnū pacificum &c. Secundum verò est ut in ea habitatione cum Deo amicè familiariterque, prout decet, agat; eundem in seipso ut in templo tanquam Deum suum colat actibus fidei, spei, charitatis, religionis, sacrificij continui sui ipsius, & ab eo sanctitatē, omniaque bona sibi necessaria

ria



ria exposcat; agnoscat etiam eundem in se vt in regno gubernantem. Et primum quidem officium eo spectat vt Deum viuo fidei actu apprehendamus & sentiamus non modò in nobis præsentem, sed operantem prout fert occasio. Eò enim pertinet illa Dei inuitatio & inuocatio, qua illum vt ad nos veniat exoramus. Alterum autem officium continet illam internam nostram occupationem cum Deo ita in nobis præsentem & operante, qua secundum modum, quo sese nobis exhibet, illum fide, spe, charitate, religione complectimur, & vnionem pro ratione materiæ & rei in qua sita est illa internæ

occu-



occupationis ratio consentaneam cum eo efficitur, siue eo modo quo filius patrem, siue quo subditus regē, creatura Deum suum, amicus amicum debet suscipere & tractare.

Verūm quandoquidē Deus non solum nos in suum tabernaculum, domum, & templum sibi consecratos & adiectos esse vult, sed etiam in diuinis suis Scripturis, seipsum nobis dignatur exhibere in habitaculū, in domum, in castrum, in templum, ciuitatem, regnum, thronum, centrum, vterum etiam, & alia id genus, aperte significat cupere se vt diuinam immensitatem vndique nos ambientem

entem



entem intellectu & voluntate cōcipiamus, intelligamusque nos in ea velut in proprio loco conclusos, extra quem nihil esse possumus, nihil habere, nihil posse; in quo habemus omnia, intra quem operari omnia necesse est. Ac proinde duplex hic quoque officium nostrum inuenitur. Primum quidē vt in Deum ipsum à quo abesse nullo modo possumus, vt in nostrum centrum toto voluntatis pōdere feramur, in eo libenter habitemus, extra eum non euagemur. Alterū vt in ipso etiam nos cum ipso occupemus ea ratione qua seipsum nobis exhibet, & per actus fidei, spei, charitatis, religionis,



nis, modò delicias eius gustumus, modò regni diuitias & splendorem & gloriam admirerur, modò in altissimo illo perfugio nostro confidamus; modò in eo templo in quo sibi ipse infinitam gloriam dicit, illum pro modulo nostro, nos ei sacrificando colamus.

## CAPVT XVIII.

*Imagines sacra nos iuuant, ut  
Dei praesentiam & sapientiam considerare*

*mus.*



VE etiam pertinet piarum imaginum, quæ Christi Domini vitæ & Passionis mysteria

alio-



aliorumque Sanctorum historia repræsentant; usus, quem diuino consilio ab Ecclesia approbatum fuisse vel inde constat, quod præter plurimas illarum utilitates, mirificè etiam ad Dei præsentiam faciliè apprehendendam conferant. Nam, cum omnium præteritorum olim fidei mysteriorum, Christi Domini vitæ & passionis aliorumque sanctorum descriptæ imagines, viuæ in Deo conferuentur, perinde atque si vel hoc momento fierent; Certè cum imagines oculis nostris obiectas intuemur, facile est in Deo præsentem, eadem illa quæ nobis, in imaginibus proponuntur, velu-



veluti etiamnum re ipsa vere-  
que praesentia ac viua con-  
templari. Deus enim nobis  
praesens, haec etiam omnia vt  
praesentia, in se exhibet, quae  
tamen non adeo facile possu-  
mus, mente concipere, nisi,  
quod ipse in se veluti obtegat,  
expressum exteriori typo ocu-  
lis hisce corporeis aspiciamus  
sic enim mysteria quaeque,  
perinde atque si subiecta es-  
sent sensibus, meditari & gu-  
stare facillimum est. Quem-  
admodum enim quaecunque  
sunt creaturae creaturarum-  
que operationes Dei vel ve-  
stigia, vel imagines sunt, qua-  
rum prototypi in Deo tan-  
quam in lucidissimo adamã-  
te, representantur, atque adeo  
singula-

singula-



singulas in Deo & Deum in  
singulis contemplari non est  
ardui negotium laboris: Ita  
quamuis præteritæ res iam  
effluxerint, futuræ nondum  
sint, ideoque in rerum ipsa-  
rum vicem externas imagi-  
nes usurpemus, viuæ tamen  
& perpetuæ rerum ipsarum  
imagines quam in seipsis exi-  
stentibus coloratiores, vt D.  
Augustinus ait, in illo diuin-  
tatis speculo & amplissima tâ-  
admirabilis artificis officio  
na tota latè æternitate  
conspiciuntur.

(::)



## CAPVT XIX.

*Deus in nobis alijsq; rebus praesens non tantum ut causa efficiens, sed etiam finalis ac formalis & materialis aliquomodo cogitari potest.*



**N**EC male nonnulli, cum se in Deo esse, & viuere & moueri attendunt, illum considerant ut causam efficiētem, finalem, ac modo quodam formalem & materialem rerum omnium. Nam quamuis non sit forma rerum creaturarum nec anima mundi, ut volebat Plato, quatenus tamen illis praesens adest, & formas illis  
 suas



suas à se profundit, atque di-  
uinis suis perfectionibus illas  
attingit, dici aliquo modo  
potest illas informare. Dei  
enim pulchritudo, bonitas,  
misericordia, sapientia, po-  
tentia, effusa super res crea-  
tas illas omnes suo splendore  
perfundit. *Tu vegetas anima,*  
ait D. Augustinus, *molem cor-*  
*poris tui, præbēs ei vitam, quod*  
*nullum corpus præstat corpori,*  
*Deus autem tuus etiam tibi vi-*  
*tæ vita est* Nec enim ubi crea-  
turam suam fecit Deus, de-  
serit, sed opus suum continua  
operatione conseruans, se-  
ipsum ei quodammodo sem-  
per communicat, vt Deus  
verissimè sit vita vitæ rerum  
omnium, & forma formæ. Iam

verò



verò nonne materiæ vicem  
 gerit omnipotentia creato-  
 ris, quæ rebus omnibus con-  
 ditis seipsam pro fundamen-  
 to subtrauit. Nonne idem  
 author omnium & finis, vt  
*in ipso, per ipsam, & ex ipso* Ro. II.  
 verissimè omnia esse dixerit  
 Apostolus. Ergo in medio  
 quatuor harum causarū con-  
 tine te, ô anima ne pereas,  
 & diuinos illarum influxus  
 excipe, vt sis id quod es, &  
 peruenire queas ad id quod  
 nondum es: idemque cum  
 Augustino sentiens, dic cum  
 eodem frequenter. *Te inuoco* li. I.  
*Deus veritas: in quo & à quo* foli.  
*& per quem vera sunt, quæ ve-* cap. I.  
*ra sunt omnia: Deus sapientia,*  
*in quo & à quo & per quem sa-*

F

pius



piunt que sapiunt omnia: Deus  
 vera & summa vita, in quo &  
 à quo & per quem verè sum-  
 meq; viuunt omnia: Deus bea-  
 titudo, in quo & à quo & per  
 quem beata sunt que beata sunt  
 omnia: Deus bonum & pul-  
 chrum, in quo & à quo & per  
 quem bona & pulchra sunt que  
 bona & pulchra sunt omnia:  
 Deus intelligibilis lux, in quo  
 & à quo, & per quem intelli-  
 gibiliter lucent que intelligibi-  
 liter lucent omnia.

## CAPVT XX

Quomodo Deum in alijs homi-  
 nibus presentem & operan-  
 tem, omnesq; sibi & inimicem  
 miro modo unientem con-  
 templari possimus.

SICVT





ICVT in nobis di-  
uinam agnosci-  
mus praesentiam,  
cum nos in Deo

& in nobis Deum manere co-  
gitamus, sic etiam & in caete-  
ris hominibus, in quibus, nisi  
ipsi impediant, non tantum  
per naturam, sed etiam gratiae  
dona seipsum, suasque perfe-  
ctiones, sapientiam, iustitiam,  
bonitatem, amoremque dif-  
fundit, & intellectu & volun-  
tate agens sese totum com-  
municat summa voluntatis  
propensione, si modo ipsi  
velint, imo saepe etsi re-  
nuant, tamen pro sua bonita-  
te non desinit intellectum  
illuminando, & volunta-  
tem pie afficiendo intimae



sua praesentiae sensum praebere. Quare cum eadem omnino in illis operetur, quae in nobis, non est quod in hac praesentia exponenda immoremur diutius. Vnum tantum addendum est, quod maximi est momenti, ad mutuum amorem & unionem inuicem constringendam. Nimirum cum immensa illa maiestas & bonitas, ita intimè omnibus creaturis rationabilibus praesens sit, pro infinitae suae bonitatis vi omnes omnino in se retrahit, in se coniungit & vnit, Nam amor quo suam bonitatem prosequitur, in Deo etiam est vis concretiva, ut ita dicam, ac collectiva, qui cum sit infinitus, dici non

po-



potest quanta efficacia omnes  
in sese homines colligat, vt in  
seipso & de seipso, omnibus,  
si modo velint, benefaciat. I-  
taque eius presentia in omni-  
bus & singulis eò etiam ten-  
dit, vt in vnum omnes cogat.  
Atque inde ortum habet a-  
mor ille mutuus, quo tanquã  
participatione quadam infi-  
niti illius amotis nos vnimus  
inuicem in Deo, & in illum  
etiam mutuò nos trahimus  
ad illius bonitatis gloriam  
augendam: Ad quem etiam  
amorem pertinent mansue-  
tudo, affabilitas, misericor-  
dia, & cæteræ omnes virtutes,  
quæ nos inuicem copulant,  
& à supremo illo fonte in nos  
deriuantur, vt vnum simus,



quemadmodum ipse vnus est,  
atque adeo in ipso. Igitur ita  
operatur Deus in vnoquoque  
vnionem secum, vt etiam il-  
lam extendat in proximum,  
ac proinde eum contemplari  
licet in vnoquoque, non tan-  
tū largientem naturalem  
perfectionem, & supernatu-  
ralem, sed & per eam perfe-  
ctionem excitantem & in-  
clinantem nos inuicem, vt  
Deus sit omnia in omnibus.  
Vt sicut ipse ex amore suæ bo-  
nitatis adeo multa bona in  
nobis efficit, vt nos sibi vniam,  
ita nos per amorem vnum  
cum illo effecti ei cooperan-  
do, quidquid in nobis est  
conferamus, vt proximus in  
Deum ipsum reducatur, &

per



per amorem, bonitati illi amabilissimæ sponte reddat non tantum se, sed cætera omnia bona, diuinas etiam ipsas perfectiones, quas per tot Dei in se dona & operationes modo quodam possidet vt suas. Et sanè iucundum est & maximæ consolationis Deum intueri, non tantum ambientem nos omnes & cingentem vndique, non secus atque solis lumen atomos, aër iste auiculas, aut oceanus pisciculos, vterus maternus gemellos complectitur; sed etiam in vnoquoque existentem, & intellectu & voluntate, adeo magna, adeo mira, adeo diuersa in singulis, tanto cum



ordine, tanta cum concordia operantem, a deo varijs motibus in eundem finem, liberum hominis arbitrium, tanta cum sapientia, tanta cum potentia & vi, tanta cum iustitia, tanta cum bonitate, seruata plena libertate impellentem, vt quamuis ex aduerso incurrere in sese mutuò, & dissidere videantur, pulcherrimo tamen ordine concurrant & vniantur in Deo, ad effectus mirabiles ad gloriam eius illustrandam, producendos. Quæ vnio & tam discrepantium mutua concordantia, quam clarè præsentiam Dei resonent, audi Christum Dominum: *in hoc, inquit, cognoscent omnes,*

Ioã. 15.

*quia*



*quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Atque hæc præsentia ita nos inuicem coniungit, vt quauis & locorum & temporū spatijs maximis distinguamur, tamen nobis facile sit in Deo inuicem quodammodo colloqui, nos inuicem iuuare, præsentem in nobis Dei bonitatem & effectricem potentiam efficaci oratione applicando, vt quæ etiam præsens est in singulis, eodem illos & lumine perfundat, & auxilio ijs opitulatur. Sic cum Beatis ipsis in Deo versari, sic collata illis olim beneficia veluti præsentia agnoscere, & gratias age.



re possumus: Sic sancti viri  
& præterita intueri, & futu-  
ra prospicere non secus ac  
præsentia in Deo solent. Ve-  
rùm de hoc etiam postea; ubi  
hanc praxim ad actionum  
singularum vsu commo-  
dabimus: Hoc enim loco  
eam solùm in genere tracta-  
mus.

## CAPVT XXI.

*Quomodo Deum in cæteris crea-  
turis considerare & com-  
plecti possimus.*



AM verò eadem  
Dei præsentia a-  
mabilissima in cæ-  
teris etiam creatu-  
ris siue irrationalibus, siue  
etiam sensu aliquo præditis,

siue



siue demum omni vita ac sensu destituta, cum intima sit, non potest non incurrere ad singula pene momenta in oculos ipsos & sensus nostros, si modo sint exercitati ad intelligendum, & non abiecti tantum ad sensibilibus istis rebus fruendum. Optimus enim Dominus cum non tantum intelligendi & volendi facultate, sed alijs etiam potentijs inferioribus, à quibus ipsa intelligendi & volendi vis dependet, hominem instruxisset, ita sese per diuersa bona ab illis ipsis potentijs pro cuiusque natura apprehendenda, diffudit, & quodammodo dispertijt; vt nullum sit obiectum vllius sen-



sus, quod Deum praesentem non contineat, ac proinde illum in ipsum hominē noua quadā ratione inuehat. Nec enim tantū in omnibus & singulis etiā minutissimis & vilissimis praesens existit, sed cum intellectu & voluntate agat, ita praesens in illis est, ut ex infinito sui amore eas conseruet sua potentia, & sapientia immensa, atque adeo sese in illis glorificet: ita ut suas perfectiones in illis diffusas sibi ipsi aliquo modo reddat. Est enim Deus benedictus & gloriosus non in se tantū, sed etiam extra se. Quare cum creaturas omnes inuito, ut Deum benedicant & laudent, venire imprimis

mihi



mihī in mentem debet æterna illa benedictio, & laus quam Deus sibi ipsi ex illis reddit. Deinde quod ex eodem amore mihī exhibet seipsum, suasq; perfectiones in creaturis illis, vt in quibusdam speculis mirabiliter relucens, iucundissimè contemplandas, vt ego pariter ex eodem amore easdem perfectiones ipsi reddam, & in creaturis illum laudem & benedicā. Præterea quod cum earundem mihī vsum concedit siue ad victum, siue ad vestitum, animique relaxationem etiam nouo quodā modo sese mihī communicat incredibili erga me totius amoris sui propensione. Denique

F 7 quod



quod cum in iisdem operantibus operatur & laborat; illos labores operationesque sponte, & tota voluntatis suae inclinatione, in bonum meum dirigit. Itaque cum coelum, solem, lunam, stellas contemplor, cum terram, arbores, herbas, flores, gemmas, & caetera id genus intueor, cum me radijs perfundit sol, cum cibus reficit, cum tegit vestis, si illuminatos fide oculos & sensus habeam, non tam creaturas ipsas quae ex se nihil sunt, quam immensas Dei perfectiones ex indicibili amore mihi varijs modis a deo naturae meae consentaneis, communicatas, apprehendere debeo: vt non tantum cor-

pus



pus creaturis, sed praecipue anima Deo praesente satietur & expleatur, Deum laudet, benedicat, glorificet, tantam eius gloriam extra effusam in eum reducat, & sese pariter cum omnibus creaturis eidem reddat ijs bene utendo, vel contemnendo pro eius gloria & tantae bonitatis aestimatione.

Hæc ergo Dei praesentia in creaturis etiam insensibilibus, ad unionem nostri cum Deo per amorem efficiendam, ut ad suam ultimam formam fertur. Nec verò minus, imo magis amabilis est tanta bonitas, cum vel in vilissimis creaturis sese praesentem exhibet, vel per creaturas quas

dam



dam iustè nos exercet & punit  
in hac vita.

Atque hoc modo vsi sunt  
sæpissimè viri sancti pro ex-  
ercitio præsentia diuinæ,  
cùm maxima & spiritus sua-  
uitate & fructu spirituali, cõ-  
mendatque illum B. P. N.  
in exercitio de amore spiri-  
tuali.

CAPVT XXII.

*Quomodo in Deo præsentia re-  
motissima quæque, & tam  
præterita quàm futura nobis  
quasi præsentia efficiuntur.*



DMIRABILIS  
quoque hæc Dei  
immensitas, non  
tātum distita quæ-  
que



que & loco remotissima nobis praesentia facit, sed etiam quae maximis temporum intervallis sunt vel iam praeterita, vel futura. Nam sicut ei sunt omnia praesentia, ita etiam cum seipsum nobis praesentem facit; quodam modo in seipso eadem praesentia exhibet, sic, ut non secus nos afficiat amabilissima eius bonitas, sapientia, potentia, iustitia, & aliae perfectiones in praeteritis illis & futuris relucens, quam in ijs quae modo geruntur. Ab ipso mundi initio plurima iam saecula fluxerunt; plurima in tanta temporum varietate facta sunt ante Christum, quae sacra historia in libb. Geneseos, Exodi, Regum,

Macha-



Machabæorum describit, plurima à Christo & post illum in vniuerso orbe, quæ Ecclesiastica historia ad hæc vsque tempora commemorat, de Ecclesiæ persecutionibus, hæresibus, Martyrum certaminibus, triumphis, miraculis. Plurima ad finem vsque contingunt; hæc omnia tempora, & vniuersa quæ in ijs facta sunt vnicum immensæ æternitatis Dei punctum cōtinet, & intuetur vt præsentia, nihil ei antiquum, & præteritum, nihil futurum, non potest obliuisci operum nostrorum bonorum, nullo vnquam momento ab ijs quæ olim commisimus, peccatis, oculos auertit, Christi Domini

mors



mors & Passio, & Sanctorum  
 vita, pugnae & merita tam ei  
 noua, ac proinde grata sunt,  
 quam si hoc momento pri-  
 mum offerrentur, aeternam  
 Sanctorum suorum foelicitatem,  
 & damnatorum poenas  
 in hoc vno momento sic ha-  
 bet praesentes vt non possit  
 magis. *Intellexisti enim, O*  
*Domine, cogitationes meas*  
*a longe, semitam meam, & fu-*  
*niculum meum inuestigasti: tu*  
*cognouisti omnia nouissima &*  
*antiqua.* Hoc admirabile thea-  
 trum quod Beatis incredibili-  
 lem voluptatem adfert, no-  
 bis quoque non voluptatem  
 tantum, sed ingentem et-  
 iam utilitatem adferre po-  
 test. Est enim spiritali con-

Psal.  
 138.

sola-



solatione plenissimum, cum  
sacram Scripturam antiquas  
illas historias commemoran-  
tem legimus, cum Psalmos  
cantamus, cum Sanctorum  
certamina, & vitam siue reci-  
tamus in officio, siue legimus  
audimusque, cum peccata no-  
stra præterita recensemus,  
Christi item actiones, Passio-  
nem, mortem, & resurrectio-  
nem cogitamus, cum futura  
omnia prospicimus, hæc om-  
nia etsi iam pridem facta sint,  
tamen non vt præterita & an-  
tiqua, ac quasi obliuione se-  
pulta cogitemus, sed tanquã  
in Deo præsentia, atque adeo  
ijs afficiamur non secus atque  
si essent ante oculos, quem-  
admodum etiam ipsum Deũ



ijs affici æquum est cogitare, siue vt sese inde glorificet, siue vt nobis benefaciat, aut etiam iusto nos iudicio pœnis debitis castiget, & humiliet ob peccata præterita, nisi Dei misericordia dimissa essent. Quæ tamen misericordissima & amabilissima misericordia Dei, etiam vt præsens cogitanda est, vt vno intuitu videamus quid & iustitia Dei exigat, & quid misericordia largiatur; atque admirabili modo & iustitiam eius simul & misericordiam in nobis glorificemus, sic enim Beati, misericordias Dei in æternum cantabunt.



## CAPVT XXIII.

*Quomodo Deus præsens in oratione concipiendus sit.*



ACTENVS de præsentia Dei in vniuersum modò de eius in varijs occasionibus & actionibus nonnulla dicenda sunt, atque ab oratione exordium ducendum. Docet ratio ipsa & experientia & Sanctorum auctoritas diuinam præsentiam in primis necessariò apprehendendam potissimùm ante omnem orationem, non simplici tantùm vel intellectus vel fidei assensu, sed etiã cum aliqua voluntatis incli-

natio.



natione & vnione cum illo. Deus enim ipse cum vel ex instituti ratione, vel speciali deuotione aut occasione quavis alia nos ad orandum incitat, ipse nobis intimè praesens id ipsum agit in nobis, atque ad id nos excitat. Itaque nostrum est viuo fidei actu non tantum illum concipere praesentem, nobisq; largientem id omne quod sumus, sed etiam singulari iam modo volentem à nobis coli, nobiscum agere, & ideo vt id ipsum velimus & faciamus in nobis operantem; quod non potest apprehendi sine magno voluntatis affectu & sensu quodam, qui certè erit maior, si concipiamus initio

ora-



orationis Deum ex infinita  
sux maiestatis æstimatione  
& amore seipsum in seipso  
glorificantem, qui internus  
& infinitus Dei actus, qui  
Deus ipse est, miseræ crea-  
turæ communicatur, vt possit  
Deum similiter æstimare, re-  
uereri & colere. Itaque pos-  
sum ab initio orationis ap-  
prehendere me in Deo, vel  
Deum in me, non otiosam,  
sed operantem: primum cir-  
ca se, deinde etiam in me ex-  
citantem con similem actum,  
quo vt par est immensam ma-  
iestatem æstimem, & reue-  
rear; atque adeò illum seip-  
sū quasi per me & in me reue-  
rentem. Sicut enim erat Deus  
in Christo mundū per Chri-  
stum



stum reconcilians sibi, ita modo quodam est in nobis per Christi gratiam & merita per nos sese glorificans. Sic agnoscam facile cum ex me nihil sim, nihil habeam, nihil possim, quantum ab ipso dependeam: Sic coram Deo ob peccata mea confundi mihi difficile non erit, sic bonitatem eius in me diffusam per participatos eius actus adeo sublimes, non intelligam tantum, sed etiam optime disponar, ut apprehendam in tota oratione quomodo ipse in me operando actus admirationis, gratiarum actionis, laudis, amoris, petitionis, fiducia, piorum desideriorum, omnis iustitiae, sanctitatis, & virtutis, se-

G

ipsum



ipsum glorificet, amet, fontem agnoscat bonorum omnium plenissimum. Nam ex illa plenitudine cognitionis & amoris, quam de seipso habet, hi nostri actus participati effluunt, ut plurimum eò copiosius, quò demissius & humiliter nos nihil esse & posse cognoscimus. Quare semper Deus ipse apprehendendus non tantum ut præsens, sed etiam ut operans, primum quidem in se, deinde in nobis, efficiensque ut velimus & moueamur ad æternam eius gloriam, cum sine illa eius operatione omnino immobiles essemus. Inclinat ergo sese ad nos, & simul nos ad se, ut immensam vim suæ bonitatis



nitatis manifestet. Nostrum proinde est eum quodammodo iuuare & liberè ei cooperari, vt ex terra hac diuinus ille agricola fructus speratos percipiat. Et verò difficile non est praesentem illum & operantem varijs modis, pro materiae varietate concipere. Nam in me est etiam iudex meus, cum tota sua iustitia, sapientia, potentia. In me magister & doctor meus. In me Rex meus, medicus, lumen, & vita mea, meus pastor, infinita aestimatione seipsum glorificans, eandem in me estimationem efficiens, & tum in se, tum in me, ea operans, quibus non tantum se ad me inclinet ac



vniat, sed etiam me ad se pro  
 materiae cuiusque ratione.  
 Hinc oriatur ab ipso oratio-  
 nis initio mei confusio, vt qui  
 tam procul absim ob peccata  
 mea vt possim ei cooperari:  
 hinc humilis profundaque re-  
 uerentia exterior qualis erat  
 Abrahæ; *Loquar ad Dominum,*  
*quamuis sim puluis & cinis.*  
 Hinc deuotionis interior sē-  
 sus, diffidentia mei, & con-  
 fidentia in Deo; hinc facili-  
 tas magna colloquendi cum  
 eo præsente; hinc, si forte  
 aridi simus, magna & solida  
 voluntatis nostræ resignatio.  
 Hæc mihi ratio diuinæ præ-  
 sentia longè utilior videtur,  
 quàm sensibilis imaginatio  
 qua illum vt circumfusum

Gen.  
18.

vndi-



undique lumen concipimus,  
vel velut in sublimi throno  
residentem intuemur, aut in  
crucefixum aspiciamus. Quā-  
quam coram Sanctissimo Sa-  
cramento & solidè & facile  
possit Christus, vt pote præ-  
sens, apprehendi, idque varijs  
modis prout occasio ferret;  
Inter quos hic etiam maximè  
probandus videtur vt conci-  
piatur tanquam morale prin-  
cipium omnium bonarum  
nostrarum operationum, ab  
ipso nempe profluit actuale  
gratiæ auxilium, & actualis  
gratia ratione cuius non ha-  
bitare tantùm in nobis, vt lo-  
quitur Apostolus, sed et-  
iam operari dicen-  
dus est.



## CAPVT XXIV.

*Quomodo in sanctissimo missæ  
sacrificio præsentem Deum  
habere possimus..*



**I**N sãctissimo mis-  
sæ sacrificio du-  
pliciter Dei præ-  
sentia exhibetur.  
Primùm quidem quatenus  
Christus Dominus Deus ve-  
rus & homo substantialiter,  
verè, ac realiter præsens ad-  
est, idque vt Patrem suum per  
tanti sacrificij excellentiam  
honore debito & adæquato  
prosequatur, quando quidem  
istud sacrificium nihil aliud  
est quàm quædam veluti  
continuatio sacrificij cru-  
cis.



is. Cùm enim Christus pro salute omnium hominum, qui futuri erant ad mundi finem, ad Dei Patris gloriam ex eius amore optaret vehementer fixus in cruce ad sæculi consummationem permanere, nec id necesse esset, vel expediret; hoc sacrificium instituit vt nobis esse loco cruenti, ac proinde, quod possemus adire, Deoque patri offerre, perinde atque si in cruce fixum adiremus & offerremus: præsertim cùm etsi nobis præterita multis iam annis; atque adeo, longissimè absens Christi passio sit, Dei tamen æternitati semper præsens, semper noua existat; & ita etiam à nobis hoc ma-



ximè signo repræsentationis  
eius excitatis apprehēdi pos-  
sit & debeat. Ergo in eo Chri-  
stus Dominus praesens sese  
nobis verè donat. Nam &  
cùm hoc sacrificium institue-  
bat, & cùm in cruce fixus erat  
hoc in particulari cum his cir-  
cumstantijs loci, temporis,  
animi intendebat, cui voluit  
me adesse, & modo ex sum-  
mo mei amore sese patri pro  
me offert, nam intellectu &  
voluntate operatur. Vide  
me & intimum cor meum  
intuetur, & tota voluntatis  
inclinatione ad me propen-  
det, idque vt sese mihi vniat.  
quare etiam cibus mihi esse  
voluit, quo nihil est quod  
magis nobis vniatur. Sed præ-

terea



terea tota beatissima Trinitas  
verus & æternus vnus Deus,  
præter modum præsentia  
quem habet in me, & in om-  
nibus alijs rebus, hic singula-  
ri modo adest: adeo vt si per  
impossibile nusquam esset ali-  
bi, tamen reuera hic adestet  
cum sacro sancta Christi hu-  
manitate Verbo diuino vni-  
ta, vnus Deus Pater, Filius, &  
Spiritus sanctus: nec tantum  
hic Pater Filiū generat, & Pa-  
ter ac Filius Spiritū sanctum  
producunt, sed Pater, Filius,  
& Spiritus sãctus hypostaticã  
diuini Verbi cum natura hu-  
mana vnionem hic efficiunt,  
& præterea Christum Domi-  
num sub speciebus consti-  
tuunt, & arctissima vnione



colligant. Hæ tam stupenda operationes Dei non nudam eius præsentiam, sed incredibiliter in me propensam ostendunt. Quorsum enim tot uniones, nisi ut significet sese velle mihi vnire, cum præsertim illæ ipsæ species, quibus ita Christus corpus vnit, sint species panis & vini, naturalis nimirum alimentum, ut illo veluti signo, naturalis unionis, alimentum & alium significaret, tantam esse in me propensionem amoris sui, ut mihi ipse permisceri, confundi que mecum quodammodo, & in vnum coalescere velit. *Sicut enim erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi in cruce; ita iam est in hoc*

2. Cor  
2.

facra.



facramento eundem sibi v-  
niens. Ex quo etiam satis pa-  
tet in vsu & sumptione huius  
Sacramenti Dei praesentiae  
exercitium, & praecipuum  
esse, & facillimum, & suavis-  
simum: Nec verò in vsu dun-  
taxat, sed etiam in visita-  
tione SS. sacramenti suo etiã  
modo vsurpari potest. In v-  
troque porro non sunt abdu-  
cendi oculi fidei ab eadem  
diuina maiestate in nobis in-  
timè praesente, & nos pariter,  
tum illuminando, tum exci-  
tando, mouendoque incli-  
nante, ad liberè perficiendam  
ex nostra parte vnionem hãc.  
Nam frustra ipse ad nos ita  
propenderet, nisi in nobis  
etiam gratiae suae vi eandem



inclinationem operaretur. Et quidem tanta eius inclinatio ad nos, argumento nobis est, quantā cupiat pariter esse nostram ad se, si modò eius gratiæ non desimus. Verùm cum in ipsa transubstantiatione consistat ratio sacrificij, quod est supremus Dei cultus, mirabili planè modo Deus ipse in Christo seipsum quodammodo colit, & nos pariter inuitat, vt adæquato ipsi & excellētiae diuinæ sacrificio eundem colamus. Sicut enim ipse seipsum seipso glorificat, ita hic mihi dat seipsum, vt possim eodem modo illum colere: atque etiam in me operatur infinitam illam æstimationem tantæ maie-

statis,



statis, & efficit vt me tanto sacrificio superimmolem, & ita me ipsum ad se retrahit & reducit.

## CAPVT XXV.

*Quomodo in conscientia examine Dei praesentia sit concipienda.*



EST & in nobis Deus iudicium iustum exercens: Quare siue cum examinanda conscientia est; siue sacramentum penitentiae ad eundem nobis, difficile non est in nobis ipsis tantae maiestati, tantae sanctitati, tantae sapientiae, iustitiae, potentiae praesenti, thronum veluti constituere, & illam ipsam con-



templari sese glorificantem. Nēpe infinita sanctitas, meas imperfectiones, quibus vel ab ea longissimè recessi, vel eam modo quodam infeci, non videt tantum, sed etiam in infinitum exhorret: sic ut iustitiæ suæ infinitam vim exprimat ad vindictam sumendam, etiam de amantissimis creaturis. Imo si per impossibile, posset apprehendi cadere posse in illam puritatem peccatum aliquod, ipsa eius iustitia infinita ad infinitam etiam contra se vindictam eū propelleret. Quare filium suū dilectissimum & innocentissimum ob assumptam peccatorum nostrorum expiandarum obligationem morti tradidit,



didit, & perpetuis innumeris-  
que pēnis in eternum cruciat  
damnatos. Illaque iudex il-  
le iustissimus & sanctissimus  
in me iudicat primū, & vt  
ego etiam iustē illa iudicem,  
efficit. Est enim iustum iu-  
diciū meum participatio  
quædam illius, & examen  
cognitioque peccatorū meo-  
rum est deriuata ab eius im-  
mensa sapientia. Deinde ve-  
rò etiam poenam decernit,  
& in meipso parem affe-  
ctum puniendi excitat, cū  
mouet in anima dolorem,  
& ad mortificationis stu-  
dium impellit, vt diuinæ iu-  
stitiæ satisfiat. Nam sicut ip-  
se iustitiam suam in se glo-  
rificat, sic & in me & per

me



me ad iustas pœnas voluntariè sponteque sumendas me mouendo, etiam glorificat. Denique sanctitas eius immensa ad sui imitationem per emédationis propositum me accendit.

CAPVT XXVI.

*Quomodo in studijs Deum presentem intueri possimus.*

**S**TVDIA ipsa quæ ad acquirendam vel communicandam doctrinã suscipiuntur, non rectè tractari possunt, nisi Deo præsentem. Et certè ex natura suam magnã fati occasionem ad eam præsentiam cogitandam præbent si nimirum consideretur quæ sit,



fit causa eorum tam efficiens  
& finalis, quàm materialis &  
formalis. Nam eæ ipsæ vel  
Deus sunt, vel Deum conti-  
nent. Imprimis ipsa essentia  
studij in eo consistit, vt sit ex-  
ercitium potentiæ cog-  
noscitiuarum, quas voluntas  
applicat ad veritatis indaga-  
tionem, siue per proprium  
discursum, siue mediante al-  
terius ope, atque adeo per dis-  
ciplinam: sicut igitur omnis  
creata veritas, aut veritatis co-  
gnitio, est participata ab illo,  
*in quo sunt omnes thesauri sa-* Col. 2.  
*pietia & scientia;* ita omne  
exercitium intellectus & alia-  
rum potentiæ cognosci-  
tiuarum; est participatio diui-  
næ intellectionis illius sim-  
pli-



plicissimæ & perfectissimæ,  
quæ Deus ipse est, qua seipso  
seipsum, idest primâ & sum-  
mam veritatem, omnemque  
adeo veritatem, comprehen-  
dit. Vnde fit vt facultates no-  
stræ non tantùm à Dei præ-  
sentis & continuò eas conser-  
uantis influxu & operatione,  
sed etiam omnes illarum o-  
perationes ab eodem intimè  
concurrente, tanquam verif-  
sima causa, non secus atque  
illuminatione aëris à sole, de-  
pendeant: eoque magis quo  
summa hæc est hominis per-  
fectio, qua proximè ad diui-  
nam similitudinem accedit.  
Nec enim habet aliunde ho-  
mo, qui ex se nihil est, quàm  
tenebræ & nihilum, præsen-  
tem



tem illam lucem & vim intelligendi & discurrendi, quam à Deo praesente, & cum intellectu & voluntate agat, summo amore liberrimè tanta bona communicante, & vt in actum prodeant efficiente. Quare facillimum est cuiusdam studet Deum intueri in se operantem, & id quod bonitati eius placet de illo suo thesauro sapientiae & scientiae communicantem : quae attentio, certè, propria nos fiducia in concessis à Deo donis ingenij exuet, humilitatem conciliabit, & ad Deum humiliter deprecandum propellet : tantumque aberit vt ab orationis studio auocet aut retardet, vt ma-

gis



gis ad eam incitet veluti ad aptissimū instrumentum quo Deo maiori charitate coniungamur; & proinde ex eo fonte, lumen hauriamus abundantius. Equidem Deus ipse in nobis actu exercet suam omnem scientiam, actu cognoscit eam ipsam omnem veritatem, quam studio indagamus, idque infinito modo. sicut enim natura nostra ab eius essentia superatur; ita & quæuis scientia creata, ab eius scientia, siue quoad obiecta cognita, siue quoad vim cognoscendi: Itaque est fons illius scientiæ & cognitionis, quam ei facile est deriuare in animam cui est præsens, & si ita expediat & conferat ad  
suam.



suam gloriam sine dubio pro  
eo affectu quo eam prosequi-  
tur, deriuabit, modò tamen  
anima etiam se ei affectu re-  
spondente præsentem faciat,  
id est ei se subiiciat, vt fonti,  
& ab eo expectet omne lumē;  
deinde non alium studiorum  
finem spectet, quam vt ei pla-  
ceat & seruiat, ac proinde sese  
ei totam resignet: sic enim  
aptè sese Deo præsentem præ-  
sentem vnit. Rursus ad veri-  
tatis indagacionem spectant  
studia; & Deus ipse prima ve-  
ritas, nobilissimum & tran-  
scendens obiectū est, quod in  
omni vero inest: ideo enim  
quæcunque sunt vera sunt,  
quia ab eo sunt. Itaque si bene  
penetremus res omnes quæ

intel-



intellectui obijciuntur, secum in animam Deum ipsū inferunt: sic vt Deus ipse non tantūm fit principium internum nostræ cognitionis, sed etiam externum & obiectum: adeo vt sibi quodammodo occurrat, & ita in nobis fiat diuina similitudo maior, qua seipsum Deus in se contempletur. Denique est ipse etiā finis omnis veræ cognitionis & studij. Nam aliud non intendit, quando nobis facultates cognoscendi dat, conseruat, excitat, ijsq; cooperatur, quàm ad suam gloriam seipsum, vt actu agnoscentem omnia, representare, & per sui cognitionem & amorem rationalem creaturam in

• sese



fese retrahere, non secus at-  
que ipse summè sese glorifi-  
cat, & veluti seipsum sibi red-  
dit, perficitque, cognoscen-  
do se & amando. Nam ipse  
est obiectum sibi ipsi, & cum  
seipsum cognoscit, seipsum  
veluti in seipso nouo modo,  
& cum nouo veluti gloriæ  
splendore habet. Itaque ab  
ipso vt author est & finis no-  
strorum studiorum pro eius  
voluntate & pro ea mensura  
quæ bonitati eius placet, ad  
doctrinam per studium ac-  
quirendam, per superiores  
ipsum, propriamque nostram  
voluntatem applicamur. So-  
lus enim nouit quantum à  
nobis cognosci & amari, qua  
in re nostra scientia & cogni-  
tione

tione



tionem uti velit, ac proinde quantum nobis cupiat communicare. Id quod quia non nouimus, ideo vires omnes expendere debemus, ut nihil impedimenti sanctissime eius voluntati cupienti sese in nobis & per nos quocumque tandem modo glorificare, obijciamus.

Atque hæc longè sunt veteriora cum diuino nos Theologiæ studio impendimus. Nam tunc præter ordinarium concursum, specialibus auxilijs continuò adest, & admirandis prorsus operationibus, tum actus ipsos supernaturales fidei, sapientiæ, prudentiæque in nobis, tum habitus producit, conseruat, & perficit.

Ita-



Itaque non est difficile cum  
studendum est, in seipso, il-  
lum intueri, & praesentem &  
haec operantem cum volun-  
tatis inclinatione in bonum  
nostrum, & vicissim etiam, il-  
lum ipsum complecti, ut stu-  
dium nostrum spiritali etiam  
sensu imbuatur. Quare me-  
rito nonnulli in seipsis con-  
struunt intimum quoddam  
museum, in quo Deo magi-  
stro discunt, illum audiunt  
docentem, in dubijs cum de-  
bita reuerentia & resig-  
natione interro-  
gant.



## CAPVT XXVII.

*Quomodo Deum in nobis, dum  
exterius occupamur, presen-  
tem & operantem in-  
tueri debeamus.*



VM in actionibus  
externis, alio-  
rumque ministe-  
rijs versamur vt  
eos externis auxilijs iuuenus,  
in nobis etiam Deum con-  
templari licet presentem &  
operantem hæc omnia, pro  
sua immensa bonitate. Cer-  
tè summa illa maiestas non  
dedignatur vilissimis se crea-  
turis immergere, & eas mo-  
uere agitareque ad bonum  
vniuersi vt creaturæ rationa-

li ser-



li feruiant. Ipse mihi in igne laborat, in aqua, in iumentis, in ceteris quibuslibet. In alijs etiam hominibus mihi aedificat, ferit, metit, molit, vestes calceosque parat, ministrat omnia, & singula ad vitam & honestas recreationes necessaria, intellectu & voluntate in ijs operans & laborans, cum summa in meum bonum inclinatione. Quidni ego tum in omnibus illum amplectar & diligam, ac ei feruiam; tum ego ipse illi, ad similia me, pro alijs inclinati, cooperabor libenter? Idem enim est, qui vires has mihi confert, conseruatque, & ad externas actiones excitat, applicatque, vt alijs opem fe-



ram. Quare eas ipsas actiones, tam in me quàm in alijs spectabo, vt Dei ipsius actiones, qui voluntate & intellectu agens, ita bonitatem suam mihi commonstrat, vt vndique, ac præcipuè ex me ipso in oculos incurrat. Quare cum ex summo in alios amore me excitet, & mecum ipse operetur, quo me par est modo ei cooperari, quàm fiducià collaborare, quo amore & charitate totum me impendere cùm ita se mecum impendat, quo animi ardore bene & perfectè omnia faciendo, eius gloriæ studere, cùm ita sese in me & per me glorificare intendat? Hinc existet solida quædam humi-

litas



litas Deo: omnia attribuens,  
 erga proximum, etiam ingra-  
 tum, fortis & constans chari-  
 tas, fiducia in arduis, fortitu-  
 do & lætitia in malis succes-  
 sibus, & prudentia ex Dei præ-  
 sentis consilio prius requisito  
 in rebus suscipiendus & diri-  
 gendis.

## CAPVT XXVIII.

*Quomodo Deum in alijs præci-  
 pue superioribus præsentem  
 & operantem contempla-  
 ri & intueri possi-  
 mus.*



N omni nostra  
 cum alijs conuer-  
 satione & conui-  
 ctu hoc exercitiū  
 vt longè facilli-  
 mum est, siue personarum, si-



ue finis & negotiorum habeatur ratio, ita est commendatissimum. Imprimis enim vix vlla est persona in qua Deum presentem singulari quodam modo non possumus inueniri: est in superioribus, sua illis potestatem, authoritatem, amorem, & curam subditorum impertiens, & vicissim nobis, si subditi sumus, imprimit debitam erga eos reuerentiam, timorem, amorem & tum internam, tum externam obedientiam, non vt hominibus, sed tanquam Dei vicem gerentibus. Et ex hac praxi dependet vis tota obedientiae & subiectionis. Quare quando cum superioribus conuersandum est, non

est



est difficile Deum spectare  
tanquam fontem eius illud  
quod habent nos regendi  
in illos deriuantem ; si iu-  
bent, illis assistentem, & par-  
tem etiam sui luminis, &  
sapientiae, totius denique  
prouidentiae communican-  
tem; eorum iudicio & volun-  
tati insidentem, vt per illos  
suauissimè eum finem gloriae  
suae quem intendit, pro san-  
ctissima sua voluntate, attin-  
gat. Hac eadem maiestas, si-  
cut in seipsa sibi ipsi in ordi-  
natissima hac prouidentia,  
& sapientissima creaturarum  
quarundam per alios gu-  
bernatione, infinito amore  
complacet, ita etiam in no-  
bis subditis praesens ad il-



lam nos subiectionem inclinat, vt in superioribus illum agnoscentes, patiamur gaudemusque ab eo qui nec errare nec decipere potest, nos duci in vitæ huius tenebris, rati, singulari eius dispositione plurima in rebus humanis, præsertim hodie adeo cæcis & inconstantibus, à superioribus constitui, quæ nonnunquam humanæ prudentiæ, repugnare videantur, quibus tamen cum nos accommodamus: experimur quàm tutum sit se totum ei committere. Deus ergo ipse est qui præcipit in superioribus, qui obedit quodammodo in subditis, imo ille ipse mihi intimè præsens præceptum,

quod



quod idem ipse superiori suggerit, mihi aperit, excitatque ut seruem. Estque in me ipse praecipiens cum tota sua auctoritate, & sapientia, & bonitate, atque adeo prouidentia, cui proinde me ipsum in me ipso submittere possum, & illam subiectionem exterius omnium obedientiae, amoris, reuerentiaeque perfectione erga superiorem testari.

Atque ex his non est difficile in caeteris omnibus ob participatas Dei perfectiones eum pariter intueri praesentem, & operantem aliqua singulare, cui vicissim in nobis respondeat eiusdem praesentia & operatio. Sicut enim ipse, opera etiam sua contem-



platur in seipso, & in ijs ob-  
suam bonitatem ac perfectio-  
nes in illis relucens sibi cō-  
placet; ita etiam huius con-  
templationis & complacen-  
tiæ participationem, nobis  
communicat, in nobis opera-  
tur, vt & illas cognoscamus,  
admiremur, reuerreamur, a-  
memus, prout cuiusque exigit  
ratio: Nam non eandem om-  
nibus rationem communi-  
cat: sacerdotibus quidem ad-  
mirabilem potestatem con-  
cessit, propter quam illis assi-  
stit sua infinita potentia, & il-  
los audit & intuetur vti filium  
suum cuius personam gerunt,  
& quem toties in se recipiunt.  
Alijs nonnullis singularem  
scientiæ profunditatem lar-

gitu



gitus est: quibusdam excellē-  
tem sanctitatem. Atque ne-  
mo est quem non reputare  
debeamus in aliquo excelle-  
re, & nobis esse superiorem,  
ac proinde Deum in nobis fi-  
bi ipsi complacentem in illa  
suae creaturae perfectione in-  
tueri possimus, & simul parti-  
cipata operatione cum eo cō-  
placere, gaudere, admirari, re-  
uereri, diligere totoque affe-  
ctu interiori complecti; exte-  
rius verò ijs honoris & bene-  
volentiae signis testari ani-  
mum hunc internum, quæ  
cuiusque gradus re-  
quirit.



## CAPVT XXIX.

*Quomodo cum inter nos versamur & negotia quævis tractamus Deum præsentem in nobis & alijs videre possimus.*



AM verò cū quid nobis negotij est cū proximo, quod pertineat, aut ad eius salutem ac bonum siue spirituale, siue temporale, aut aliud quiduis, quàm iucundum est contemplari Deum in ipso nobisque pariter & præsentem & operātem, pro ut res exigit? Quantam id fiduciam, quantam alacritatem, quantam pacem, adferre potest? Ita Deus ipse, est etiam



tiam in peccatore, & in eo operatur sui cognitionem, & motus illos animi quibus impellitur, vt ad me veniat, mecum agat, à me vel potius ab ipso Deo qui in me est & me pariter in illum inclinat, hauriat medicinam, consilium, sanitatem. Quomodo ergo æquum est Deo occurrere, vt non videar impellentem repellere? Quomodo debeo ei cooperari & excipere, atque omnibus modis allicere, cum præsertim ipsemet Deus in me existens, operetur in me, respondentem illi, quam in eo peccatore excitat, inclinationem, vt in se nos simul perfectissimè vniat, ac veluti æterno charitatis glu-



tine, coagmentet. Quare quā-  
 tumcunque sit pertinax &  
 obstinatus peccator, hæreti-  
 cus, Turca, ludæus, quo cum  
 nobis agendum est de salute,  
 intendamus oculos mentis  
 in eum, qui in nobis operatur,  
 & lumen fidei, & voluntatem  
 piam, & desiderium iuuandi  
 illum; qui idem cum præ-  
 sens ei adsit cum summa in-  
 clinatione voluntatis in eū,  
*vult enim omnes saluos fieri,*  
*& ad agnitionem veritatis ve-*  
*nire,* sine dubio si quod in  
 nobis est, eo impellente,  
 præstemus, occurret ipse sibi-  
 ipsi, & quæ salutaria erunt in-  
 spirabit, si præcipuè eundem  
 Deum veritatis & amoris  
 præsentem in corde nostro

i. Ti.

2.

rog



rogemus, vt qui etiam pariter  
cordi eius praesens adest, il-  
lum ipsum sua veritate & a-  
more perfundat, quo etiam  
modo nobis possumus facere  
in eo praesentes illos ipsos,  
qui longè corpore à nobis ab-  
sunt, & pro quibus orare vo-  
lumus.

In caeteris porrò negotijs,  
si suscepta à nobis sint ad glo-  
riam vnius diuinæ maiestatis,  
& constet omnino conduce-  
re plurimum in eum finem  
persuaderi aliquid proximo,  
quid efficacius, quàm bene-  
prius collatas cum Deo ra-  
tiones ei proponere, cum ea  
apprehensione eundem ip-  
sum, à quo eas accepimus,  
intimè in illo praesentem, o-

perars



perari etiam velle vt eas capiat, & vel statim, vel saltem tandem aliquando admittat, & consentiat? Quod si non constet, sed res dubia sit quantæ est consolationis Deum in alio residentem adire, exponere rationes, conferre consilia, audire quæ opponat, dignoscere Deum sua cillumina communicantem, & voluntatem eius flectentem, & nonnunquam per inferiores atque rudes quosdam significantem quid fieri ipse velit, nolitur? Quanta cum animi pace acquiescere potes, si, quando quod in te fuit, prestitisti, & successu res caruit, Deum ea te cogitatione & desiderio exercuisse, tua bona

volun-



voluntate esse contentum ti  
bi persuadeas.

CAPUT XXX.

*Quomodo in peccatoribus spe-  
ctari possit Deus praesens  
& operans.*



**L**AM cum peccan-  
tes cernimus, im-  
primis infinitæ il-  
lius maiestatis præ-  
sentis iniuriam agnoscere  
possumus, eiusque implacabi-  
le odium in peccatum, seu e-  
ritatem etiam & iustitiam a-  
nimæ illi parantem extrema  
supplicia: sic enim præsens  
adest animæ peccatrici, ut iu-  
dex severus eam æternissimam

mis.



mis addicens nisi resipiscat. Verum, quia bonitas eius & misericordia, inexhausta est, adest etiam ut pius pater, miseri filij pericula omni ope depellere cupiens: idcirco suis internis inspirationibus & occasionibus externis, eius animum pulsatur, ut agnoscat suam foeditatem, Dei iudicia exhorreat, confidat in eiusdem bonitate: Impellit ut audeat conciones; praebet occasiones conuersandi cum pijs viris, quibus etiam inspirat, quid & quomodo ei proponere debeant: admirabili patientia & longanimitate tolerat, urget ad consensum abundantiori aliquando gratia: denique iustificat, & in  
suam



suam gratiam recipit; ac de-  
inde eam receptam ad quoti-  
diana virtutum incrementa  
incredibili patientia promo-  
uet. Hoc in proximo, hoc e-  
tiam in me operatur Deus  
misericordiarum & patienti-  
æ; & proinde me inclinât  
ad eandem mansuetudinem  
& patientiam in tolerandis  
aliorum imperfectionibus,  
& expectanda longanimiter  
aliorum quibuscum agimus,  
tam conuersione quàm in-  
cremento, & spirituali  
profectu.

(:.)



## CAPVT XXXI.

*Quomodo in alijs omnibus  
creaturis presens sit  
& operetur.*



DEMUM in omni-  
bus creaturis in-  
sensibilibus presē-  
tem cum agnos-  
cere licet, & operantem id  
quod sunt, laborantemque  
cum iisdem, & mihi vel be-  
nefacientem, vel nonnun-  
quam punientem me, & va-  
rijs modis exercentem. Ipse  
mihi cibum offert, & in cibo  
seipsum, vt eius me substan-  
tia alat, & sustentet, ipse in-  
igne me calefacit, vestit & te-  
git in indumentis, recreat in

colo-



coloribus & floribus. Denique per tot creaturas mihi insinuat suam bonitatem, & perfectiones, quot in meos quotidie sensus incurrunt. Quod mihi potissimum in refectione corporis considerandum est, ut non tantum fide viua illum ut praesentem & mihi ministrantem apprehendam; sed cibo ipso, aut magis amore suo me reficientem, & seipsum mihi intimè vnire cupientem. Ex qua consideratione, & magna in eo fiducia, & profunda quaedam humilitas existet.



## CAPVT XXXII.

*Quomodo Deum in omnibus  
creaturis, nos aduersis ca-  
sibus exercentem in-  
tueri possimus.*



EC verò in crea-  
turis omnibus tā  
rationalibus quā  
alijs præsentem  
Deum, dum nobis solum be-  
nefacit intueri licet & com-  
plecti, sed etiam dum aduersis  
nos rebus exercet. Nam quā-  
quam odio sit Deo impius &  
impietas eius, & iniustas ho-  
minum actiones, vt peccata  
sunt & à recta ratione atque  
suprema eius lege ac volun-  
tate deuiant, summè deteste-  
tur,



tur, ac proinde earum author esse nullo modo possit, sed eas solum sapienter atque sanctè iustis de causis permittat; easdem tamen vt sunt actus quidam naturales intimè præsens cum homine ipso iustè sanctèque operatur, ita vt & eam iniquitatis permissio- nem, & quem præbet natura- libus actibus concursum ad bonum aliquod eorum sal- tem qui patiuntur ordinet: quo fit vt eorum ipse malo- rum author & effector læpif- simè à Scriptura & Patribus dici videatur. Ecclesiastici 2. *Bona, inquit Sapiens, & mala vita & mors paupertas & honestas à Deo sunt.* Et Amos 3. *Si est malum*



*in ciuitate quod non fecerit Do-  
 minus. Et de ijs omnibus que  
 Dauidi contigerunt aduer-  
 sis Dominus Deus eam per  
 Prophetam admonuerat, 2  
 Reg. 12. Et ego suscitabo super  
 te malum de domo tua, & tol-  
 lam uxores tuas in oculis tuis,  
 & dabo proximo tuo, tu enim  
 fecisti abscondite, ego autem fa-  
 ciam verbum istud in conspe-  
 ctu omnis Israël, & in conspe-  
 ctu solis. In omnibus ergo que  
 nobis aduersa eueniunt, siue  
 aliquod proximi peccatum  
 inuoluant, siue absque vlla  
 cuiusquam culpa, à causis na-  
 turalibus necessario prodire  
 videantur, magna cum utili-  
 tate spirituali possumus De-  
 um horum authorem confi-*

derare



derare, sua prouidentia res omnes huiusmodi gubernantem, & pro affectu in nos paterno his nos malis siue externis siue internis erudientem. Quare optimè sanctus Dorotheus admonet nos non debere canes imitari, qui, inquit, *si quis in eos lapidem iecerit, iacientem dimisso lapidem remordent*, sed potius cum quippiam nobis vel dictum vel factum est, debere eum attendere, qui, ait, *nobis tribulationes huiusmodi ad peccatorum nostrorum purgationem procurat*, eumque ut praesentem, & has nobis occasiones offerrentem, hortantemque ut nostram voluntatem eius beneplacito conformemus, cōtemplari; ita sanè David cum

Serm.

7.



2. Reg  
16

ei malediceret Semei, Deum  
ipsum in eo contemplabatur,  
& contumelias quas supposi-  
ta mala voluntate Semei, fer-  
re eum Deus volebat, non se-  
cus atque si ab ipso Deo es-  
sent, excipiebat, cum diceret,  
*Dominus precepit ei ut male-  
diceret David, & quis est, qui  
audeat dicere, quare sic fecerit?*

Ad eundem modum per-  
facile est, cum publica cala-  
mitates bellorum, famis, pe-  
stis rempublicam aliquam in-  
uadunt, cum aer, mare, aqua,  
frigus, aestas nos infestant, Dei  
iustitiam contemplari ita ira-  
scentem & vlciscentem ho-  
minum scelera, ut tamen si-  
mul etiam misereri & parce-  
re, magnaque ex ijs bona col-  
ligere velit: ita faciebat Da-  
niel:



niel: *Induxisti omnia haec pro-*  
*pter peccata nostra, peccauimus*  
*enim & iniquè egimus, & prae-*  
*cepta tua non audiuius; om-*  
*nia ergo quae induxisti super*  
*nos, & uniuersa quae fecisti no-*  
*bis in vero iudicio fecisti.*

cap. 2.

Nec minus in priuatis, qui  
 nos inuadunt & excruciant,  
 morbis Deum praesentem, &  
 haec mala operantem, siue ut  
 nos purget, siue ut se opera  
 nostra minus indigere, & hac  
 se velle ratione glorificari  
 à nobis demonstret, spectare  
 possumus. Hoc in praxi ob-  
 seruauit Iob, non solum in  
 temporalium rerum iactura,  
 cum diceret, *Dominus dedit,*  
*Dominus abstulit,* sed etiam  
 in grauissimis & acutissimis  
 morborum pene omnium,

cap. 1.



Cap. 6

quibus vexabatur doloribus.  
*Quis det ut veniat petitio mea,  
 & qui cepit ipse me conterat,  
 soluat manum suam, & succi-  
 dat me, & hæc sit mihi consola-  
 tio, ut affligens me dolore, non  
 parcat. Et D. August. Hic ure,  
 hic seca, modo in æternum par-  
 cas. Et Fulgentius. Domine  
 auge dolorem, sed da & patien-  
 tiam.*

Vtilis verò admodum est  
 hæc præsentis Dei & operan-  
 tis cogitatio, cum ea quæ a-  
 genda suscipimus illum suc-  
 cessum, quem optabamus,  
 non habent, cum nobis vel  
 studia, vel studiorum exerci-  
 tationes, vel functiones erga  
 proximum non cedunt exa-  
 nimi sententia, Quis enim  
 dubitat Deum pro sua sum-  
 ma



ma sapientia vnicuique non  
solum vires & talenta distri-  
buere, sed etiam cum eo coo-  
perari, prout maior eius glo-  
ria requirit? Et quis est qui  
eius consilium ita norit, ut  
sciat quoniam sit mensura eius  
gloriae, quam ipsius opera  
consequi decreuit? Quis ne-  
scit praecleara eius dona, & foe-  
lices euentus, & res magnas  
benè, & ex animi sententia  
gestas magna plerumque  
superbiae, grauisque lapsus  
pericula habere coniuncta;  
atque adeo expedire magis  
ut plurimum non expectatis  
successibus exerceamur, ut  
cum Dauide dicamus: *Bonum*  
*michi Domine quoniam humili-*  
*liasti me, ut discam iustificatio-*  
*nes tuas.*

Psal.  
118.



Id ipsum certè in spiritua-  
libus mētis exercitijs non ra-  
rò usurpare possumus. Nam  
cùm Deus sit qui in nobis &  
nobiscum postulat gemitibus  
inenarrabilibus, orat nobis-  
cum & meditatur: si cùm ei  
visum fuerit, vel consolatio-  
nis sensibilis dulcedinē nul-  
lam infundat, vel etiam lan-  
guentem ad omnis virtutis  
bonum voluntatem sua quo-  
dammodo gratia destituere  
videatur, & ita effrenem na-  
turam, & passionibus super-  
biae, iracundiæ, alijque id  
genus obnoxiam, nullo de-  
votionis sensu, nullo satis ge-  
neroso piæ voluntatis propo-  
sito, nulla virtutis vllius per-  
fectæ acquisitione ab imper-  
fectionibus coerceat, fide-

niquè



inique grauibus tentationibus  
oppugnari permittat, hæc, in-  
quam, omnia si in nobis Deus  
partim suum concursum &  
operationē subducendo, par-  
tim etiam agendō efficiat, no-  
strum est illū in nobis intue-  
ri præsentem, & hæc dona sua  
pro infinita sapientia, hac il-  
laue mensura dispensantem  
sive ut suā in nobis iustitiā hac  
pena glorificet; sive ut graui-  
ora salutis pericula, quæ alio-  
quin imminere nobis videt,  
hac ratione auertat, sive ut tā-  
torum bonorum capaciores  
nos auctis hac priuatione de-  
siderijs bonisque operibus ef-  
ficiat; quare nos ei præsentem  
humiles subijcere, sanctissi-  
mæ eius voluntati nostram  
accommodare, admirari &



vereri consilia, acceptis eius  
donis, etsi exiguis fideliter  
& diligenter vti, diuinum e-  
ius beneplacitum complecti  
ex animo, nosmetipsos in no-  
bis cum eo & iudicare, &  
condemnare, & punire de-  
bemus, vt exemplo sancti Iob  
hæc sit nostra cōsolatio quod  
non parcēs nobis, labore nos  
& in corpore & in animo ad  
suam saltem iustitiam circa  
nos in hac vita glorificandā  
affligat; & in nostris malis ri-  
dere & delectari videatur, ne  
in æternum nos rideat, aut  
puniat, & vt æterna nos dele-  
ctatione ad suam maiorem  
gloriam recreet. Huius rei  
praxim docuit nos Magister  
noster Christus Iesus, qui in  
sua Passione traditus à Patre

in



in manus peccatorum propter peccata populi percussus; à Deo ipso interius etiam derelictus dicitur. Nec enim dubium est quin sanctissima illa anima in Deum sibi adeo presentem & unitum semper intenta, eius traditionem, percussionem, derelictionem cum incredibile humilitate, & sui subiectione, magna cum superioris partis consolatione acceptaret, & diuinam voluntatem hæc omnia operantem tota propensione cōplecteretur.

## CAPVT XXXIII.

*Fructus nonnulli exercitij presentie Dei.*

**I**N præclari huius exercitij fructibus explicandis, non



est immorandum diutius: ubi  
legerunt alij fat multos, & ex-  
posueruntque longiori ora-  
tione. Tantum sunt breuiter  
commemorandi potiores.

Primus ergo fit & veluti  
genuinus, excellens quædam  
sanctitas, quæ ex tanta cum  
Deo familiaritate & influxu  
continuo afflatur, vt ipsa ex-  
perientia docet. Certè sic in-  
ter ceteros P. Ioseph Anchie-  
ta ad eam sanctitatem & vitam  
innocentiam peruenisse di-  
citur nostris temporibus.

Secundus, est orationis af-  
fiduæ facilitas, adeo vt hoc  
modo Christi præceptum, *O-  
portet semper orare.* *Et nun-  
quam deficere,* ad litteram ve-  
luti impleatur, nascaturque  
ingens inclinatio & prompti-

Luc.  
18.

tudi-



tudo ad omnem orationem,  
ob continuam cum eo unio-

nem. Tertius, in omnibus spiri-  
tualibus exercitijs, medita-  
tione, sacrificio, & officio  
diuino, in quo distractiones  
plerumque molestiores esse  
solent, plena deuotionis &  
pietatis attentio, & efficacia  
ad omnes vitae partes & actio-  
nes sese diffundens.

Quartus, ardentissima si-  
tis gloriae Dei, a deo sibi con-  
iuncti, in quem se ipse, & om-  
nia creata libentissimè refun-  
dit, vt in ipso veluti omnia  
percant, vt sit Deus omnia in  
omnibus, & sine vlla omni-  
no diminutione gloria sua  
tota potiatur.

Quintus, maxima & con-

stan-



stantissima voluntatis propriae resignatio, & cum diuina conformatio in omnibus: Magna humilitas & diffidentia de proprijs viribus, cum omnia à Dei voluntate, & potentia, sapientissimaque providenti a pendere, & regi non tantum intelligit, sed prope modum in se sentit & experitur.

Sextus, arctissima unio cum alijs in Deo, qui, cum sit simplicissimè vnus, omnia in se vnit, præcipuè verò, liberae rationalium creaturarum voluntates, vt omnes, sicut & ipsa Dei voluntas, excluso omni appetitu proprii singularum boni vt tale est, in idem bonum, quod ipse Deus est, ferantur.



Septimus, in tentationibus omnibus, & peccandi occasionibus, praesentissimum tum remedium, tum auxilium.

Quid enim timebit qui habitat in tabernaculo altissimi, & cui Deus est refugium?

Octavus, in rebus arduis & suscipiendis ad Dei gloriam, & prosequendis, & ad finem usque producendis, ingens animi vis & fortitudo, ac fiducia in Deo, cum humilitate profundissima, & diffidentia sui coniuncta.

Nonus, facilitas magna in expediendis negotiis perplexis, & consilijs in rebus dubijs, ubi res postulat, tuto securaque ineundis cum Deo praesente, dirigenteque. Est enim verus noster consiliarius qui



quod suæ gloriæ & nostræ salutis expediet, id suggeret. Huc spectat regula electionis eiusque praxis.

Decimus, si quando res fecus accidat quàm vel optabamus, vel sperabamus, siue circa temporalia bona, siue circa spiritualia, atque adeo ipsius proximi salutem & miseriam, magna quies & tranquillitas ac serenitas animi, ut animus in Deo firmatus ac colligatus, nulla videatur postulatione moueri ab eius sanctissimo beneplacito; Quin potius quicquid accidat, non fecus de eo ipso gaudet; Deumque laudat, quàm Deus ipse, dum in illis ipsis operibus suis sibi complacet.

F I N I S.







*Summa Privilegij Christianissimi Regis.*

**L**VDOVICI XIII. Franciæ & Nauarre Regis Christianissimi autoritate concessum est Sebastiano Cramoisy Bibliopola Parisiensi Jurato, typis mandare & venalem habere, de Dei presentia, &c. alijsque cuiuscunque conditionis interdictum est intra decennium, vt patet in Diplomate Regio dato Parisijs 6. Martij. 1620.

Subsignato

RENOVARD.



ia-


ria &  
nissi-  
& Se-  
pola  
ndare  
ajen-  
con-  
a de-  
nate  
artij.

R.D.
















P  
Caudier

Th  
2899